ANTIQUITATES ANATOMICAE RARIORES,

QUIBUS

ORIGO, INCREMENTA ET STATUS ANATOMES, APUD ANTIQUISSIMAE MEMORIAE GENTES, HISTORICA FIDE ILLUSTRANTUR.

AUCTORE

JOSEPHO HYRTL,

MEDICINAE DOCTORE,

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI AD CATHEDRAM ANATOMICAM ASSISTENTE ET PROSECTORE PUBLICO.

CUM TABULIS TRIBUS LAPIDI INCISIS.

VINDOBONAE,

IN BIBLIOPOLIO UNIVERSITATIS.

MDCCCXXXV.

L. Cht.

CLARISSIMIS ET CELEBERRIMIS

DOMINIS DOMINIS

JOSEPHO BERRES,

DOCTORI CHIRURGIAE, MAGISTRO OPHTHALMIATRICES, IN UNIVERSITATE LEOPOLENSI ANATOMIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, ANATOMIAE PATHOLOGICAE PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO OPTIME EMERITO, IN ALMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI ANTHROPOTOMIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, MUSAEI ATQUE THEATRI ANATOMICI ANTISTITI, FACULTATIS MEDICAE VINDOBONENSIS SODALI, URBIS LEOPOLENSIS CIVI HONORARIO ETC. ETC.

ET

JOSEPHO CZERMAK,

MEDICINAE DOCTORI, PHYSIOLOGIAE ET ANATOMIAE SUBLIMIORIS IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE VINDOBONENSIS SODALI, SOCIETATIS MEDICO-PHYSICAE DRESDENSIS, ERLANGENSIS, SOCIETATIS CULTURAE SILESIAE ET PLURIUM ALIARUM MEMBRO CORRESPONDENTI ET HONORARIO ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS MEIS ET FAUTORIBUS

NUNQUAM SATIS VENERANDIS

SUMMAE AESTIMATIONIS ET GRATITUDINIS

TENUE HOC SIGNUM

DO, DICO, DEDICO.

Amplissimi Viri!

Quodsi grata benefactorum recordatio mortalium animos ad id agendum fortiter impellit, ut collatae in se gratiae partem pro viribus saltem fautoribus suis restituant; nulla certe unquam auspicatior mihi contingere potuit occasio, qua ardentissimos pietatis sensus, aut ubera gratitudinis vota palam facere liceret, quam hujus diei solenne festum, quo summos gradus academici honores superum favor in me contulit. —

Vos mihi Vestris sacris nondum initiato fulcrum fuistis et firmamentum, Vos mihi nunc studiorum meta feliciter tacta spes eritis, robur et ornamentum! — Vestro favori omnem

sortis meae praesentis, quae optatissima est, conditionem debeo, Vestraque manu futurae pariter versatur alea! — Vos mihi scientiarum amorem inspirastis, calcar mihi animumque dedistis, Vester genius mea in futuris quoque agitabit praecordia, Vestrumque exemplum cujusvis mei conatus basis erit, saxo Gabino fortior Albanoque! — Nolo panegyrim habere humanitatis Vestrae erga me et benevolentiae, quam sentire magis et venerari quam eloqui possum, — nolo beneficia enumerare, quibus me in perpetuum devinxistis, — nolo laudes vestras celebrare, quas nullo unquam amplecti possem verborum

cultu! — illud unum rogo, ut ex vasto benevolentiae Vestrae flumine rivulum aliquem in me ulterius derivare non dedignemini, et hunc libellum studii et laboris privati primigenum, — summae verecundiae tenue signum! — clementer suscipiatis! —

Impares quidem voluntati meae vires sentio, et me indulgentia Vestra magis indigere, quam approbationem mereri persuasum habeo. Ast non muneris amplitudinem respiciunt superi, sed litantis animum, et mica panis aris imposita non vilior illis, quam taurorum hecatombe! — Quare Vos quoque ornatissimi Viri! offerentis animum ex muneris tenuitate

aestimare nolite! neque omnem clientis Vestri memoriam abjicite! qui ad tumulum usque omnibus nervis id sese acturum spondet, ne Tantis Fautoribus indignus unquam videatur! —

Faxit Deus Optimus Maximus! Vosque ad artis salutiferae incrementa — hujus universitatis florem — bonorumque omnium salutem Nestoreos in annos salvos conservet et incolumes!

Nominis Vestri
addictissimus Auctor.

Prooemium.

Arduum magis et difficile, quam utile et practicum opus aggredior. — Vana enim omnis eruditionis ostentatio, irritusque labor, nisi utilem secum operam trahat. — Fructu, non vetustate anatomicorum labores censentur, satiusque juveni prosectori foret modernam anatomes faciem delineare, et quantum potest promovere, quam obsoletae farraginis censum habere, et dudum digestam recoquere cramben. Verum est, antiquos numerando non augeri thesauros, et cum largiori usura operam in cadaverum extispicio collocari, quam in veterum erroribus propalandis. — Haec me omnino non latent, nec is sum, quem simile tangat vituperium.

In eligendo aliquo utili et tantorum virorum censu digno argumento, dubius haesi diu. Multa enim vastus amplectitur medicinae campus, vel cruda vel indigesta vel incognita plane, quae audacem allicerent tironis animum et inexpertas invitarent vires. Nec vero tanta scriptitandi

libidine ardeo, nec adeo tumet animus, ut eorum pericula subeam, quae nonnisi versatos decet tractare in arte viros, aut annosa edoctos experientia. — Saepe nauseam mihi movit, tot neonatorum medicorum temeritas, qui nonnisi obscura et difficillima artis medicae dogmata aut morborum longe rarissimorum titulos dissertatiunculis suis inscribunt, propriae experientiae defectum aperto plagio compensant, et confecta turpiter alienae segetis messe, nescio de quo labore Herculeo triumphant. Alte teneo divi *Baconis* verba dicentis:

„Juvenem medicum decet observare, legere, et in proprios usus adnotare; scribere autem nonnisi diuturna experientia confirmatum."

Et bene dixit philosophus; — quid enim magni praestaret juvenis medici vix scholarum limites transgressi, tenuis revera quam sibi fecit supellex, nisi alienum caseum rodat et peregrinam odiose affectaret doctrinam. — Quare de melanosi disputet alius, alius in explicanda Cholerae pandemicae aut morborum nervosorum natura exerceat ingenium; — ego nonnisi tantum onus suscipiam, cui ferendo humeros meos pares existimo.

Ex eo tempore, quo medicinae nomen dedi, anatomen, nunquam satis mihi laudandam scien-

tiam, ex amicorum consilio, et ipsius hujus artis oblectamento amplexus fui. Ingens cadaverum copia, quae in nostro theatro laboribus publicis impenditur, vix delassare potuit manus meas aut bulimum satiare anatomicum. Nullus praeterlabitur sine una alterave sectione dies, et clinicis tandem occupatus studiis, quidquid supererat otii, dilectae scientiae ardentius impendebam. Nunc ubi Prosectoris publici munus per fautorum gratiam mihi demandatum fuerit, inter cadaverum sordes vitam ago, ita ut mortuorum societas fere jucundior mihi quam vivorum hominum commercium. Plures, quas per biennium ex publicis privatisque laboribus collegi, observationes, hujus libelli loco in lucem edere, forsan cum majori anatomicorum applausu, in animo erat. Sed hae majoris mihi momenti esse videntur, quam ut inter angustos programmatis inauguralis (cujus proh dolor! aevum insuper breve esse solet) limites contraherem; iconum quoque ornatu indigent, quorum sumptus temporis non minus quam crumenae nostrae angustiam superant; ideoque haec potius tecum communico, Lector Benevole! quae ex analectis meis archaeologicis (per sex annorum seriem sedulo collectis), brevi calamo conscripsi et ob veteris argumenti cruditatem minus notam, Tibi non inaccepta fore modeste spero.

Ex veterum autorum, qui de re anatomica scripserunt, assidua lectitatione compertum habui, nullius scientiae fata tristia adeo, varia et immerita esse, quam ipsius anatomes, nullamque tantas passam fuisse et temporis et hominum injurias. Ea ergo, quae originem, incrementum, florem et occasum anatomes apud veteres spectant, fragmentarie collegi, quantum potui dispunxi, et meletemate vario ornavi, ut Tibi innotescat, quantum priscis debeamus, quantum nostra profecerit aetas, quantum futuri saeculi solertiae relinquatur.

Anatomes historiam utilitatis et oblectamenti plenam anatomicorum plurimi fere totam negligunt, quos anatomes practicae ubertas et temporis penuria bibliophobos facit et erga veterum manes injuriosos. — Audiant illi *Malpighium* dicentem: „*Multa sane antiquis debemus et potiora etiam, si eorum exstarent inventa;*“ et *Galenum*: „*Haec etiamsi non faciant medicum, aptiorem tamen medicinae reddunt.*“

Hodiedum vero ingeniosa gens adeo negligit veteris scientiae studium, ut praeter nomina vix aliquid de tot tantisque artis anatomicae cultoribus supersit. Suum quisque laudat sequiturque, quae vero priscis temporibus floruerunt monumenta literaria, ad rerum inutilium quis-

quilias rejiciunt cum contemptu. Sincera antiquorum simplicitas nauseam movet illis, qui deformibus novitatum monstris unice delectantur, et omne scientiae medicae punctum in eo versari contendunt, ut rerum extra cognitionis humanae fines positarum notitiam sibi fingant, et eorum, quae ipsi non intelligunt, aliis patefaciant mysteria. Inde antiquae veritatis turpis oblivio, scholarum et doctrinarum moderna varietas, inde mille hypothesium vana figmenta, et sesquipedalium verborum nescio quid sonantium insigne pretium. — Non ita antiquitas! —— Fertile veterum ingenium, stupenda eruditio, judiciumque subactum nullo superbit ostentationis fuco et inutilis pompae defectum, masculo dictorum robore compensat. — Inhonesta, longaque proh dolor! in doctorum scriniis otia habent altoque pulvere squalent aurea veterum volumina, nullumque adeo impium ens, ut saecularem eorum quietem turbare audeat, nisi vermiculus esuriens, aut acri dente paginas rodens indocta teredo. — Ast nonnisi dulcissima poma vermes rodunt! — vermes inquam, quibus non absimiles illi moderni scriptores, qui asparago citius ad maturitatem cocti, veterum mausolaea furtim adeunt, quod sterile ingenium non invenit, ibidem quaerunt, nervosamque sententiam hinc inde abrep-

tam, tamquam proprii syncipitis foetum, deliriis suis inserunt, aut ad captandos lectorum animos, libellis suis cordati inscribunt. Quare temerario mihi irasci nolite laureati patres! vosque codices obsoleti! quod vestram requiem toties sollicitavero sordidasque paginas assidua manu versavero! In lucem ascendite, Vos Manes diuturno situ rigentes, vestramque causam mecum agite, viresque mihi suggerite! ut oblivionis vindictam strenue sumam, vestraque merita in ponendis artis anatomicae fundamentis candide patefaciam.

Tu vero hosce primos calami nostri labores benigna suscipe manu, Lector candide! et justo severiori judicio castigare noli! Fors maturior aetas meliora communicare sinet, si Deus otia dabit et vires.

Vale et Fave

A u c t o r i.

Caput primum.

Anatome primaeva.

§. 1.

Morbos et medicinam generi humano coaevam uno ore practici clamant; a) — nec inficior; si paucarum notitiam herbarum et valetudinis laesae generalem notitiam scientiae medicae nomine insignire iisdem placeret. — Infirma sanitate contristatus aut parte quadam laesus homo, instinctu bestiarum communi malorum lenimen quaerit, et obscurae cujusdam voluntatis nutu, calida frigidis, frigida calidis opposuit, laesa coadunavit, luxa reposuit, et salutem corporis diverso nomine laesam, ex illis, quae largo sinu alma mater natura ipsi obtulit, redintegrare studuit. Inde primus aeger gulam fugit, potui indulsit, plantarumque vires in auxilium vocavit. Quae assidue quaerit remedia, hinc inde invenit, inventa sua aliis communicat, aliena audit, et sic crescente multorum indies experientia, prima artis salutiferae rudimenta generi humano utique coaeva, ortum habuerunt.

a) *Andr. Ottomar Goelicke.* Historia universae medicinae. Period. I. §. 1, 3 etc.

Ant. Valetii Oratio, qua medicinae antiquitas ex antiquissimo poëtarum Homero describitur. Paris 1570. 8.

Theod. Janson. ab Almeloveen. Brevis enarratio ortus et progressus artis medicae. Amstelod. 1684. 8.

Joh. Conrad Barchusen. De origine et progressu medicinae. Traj. ad Rhen. 1723. p. 2.

§. 2.

Homines universim ea infirmitate laborant, ut muneris aut opificii aut scientiae, quam tractant, originem ad canam usque antiquitatem lubenter deducant, et nescio, quam inde gloriolam sese habituros putant, si Deum aliquem aut heroëm, aut primigenos homines, primos artis suae cultores statuant. — Et illi iidem acerrimi archaeologi, divina scientiae suae origine nondum contenti, peculiari fervore eandem aliis artibus derogant, eas post hominum memoriam aut casu ortas aut ab animalibus acceptas referunt, et nomen auctoritatemque earum, quomodocumque possint, livido dente rodunt. Tale quoque erat artis anatomicae fatum, quam sordidam et immundam a) omni antiquitatis jure privare plurimi, iique in historicis non male versati, contendunt. Alii natales ejus ad crudelem *Erasistrati* et *Herophili* vivos homines secandi morem, alii ad *Hippocratem* relegarunt, alii dubitant, an ante *Aristotelem* ullus homo dissectus fuerit b), alii imprimis *Diogenes Laërtius*, *Clemens Alexandrinus*, *Chalcidius* etc. *Pythagorae* discipulos primos anatomicos fuisse testantur c), alii ex seriori aevo deducere, fracta veterum auctoritate, subtiliter et ingeniose conati sunt d).

a) *Celsus* praefat. lib. I.: „*Ne quidem mortuorum laceratio necessaria est, quae etiamsi non crudelis, tamen foeda habenda est.*"
Paracelsus anatomen: „*turpem lanienam et sordidam carnificinam*" vocat.

b) *Barchusen* lib. cit. pag. 124.

c) *Lassus.* Historisch-kritische Abhandlung der von den Alten sowohl als von den Neueren in der Anatomie gemachten Entdeckungen. A. d. Franz. v. *Crevelt.* Bonn. 1787. 8.

d) *Chr. Golf. Gruner.* Analecta ad Antiquitates med. quibus anatome Aegyptiorum et Hippocratis etc. explicantur. Vratislav. 1774. 8.
Joh. Zach. Platner (Prolus. de art. obstetricia vet. in Opuscul. Tom. II. pag. 58.) Adamum principem *τῶν μαιευόντων καὶ τῶν ὀμφαλοτόμων* vocat.

§. 3.

Sed cum nudo et inermi hoste rem nobis esse, quivis facile perspiciet, qui veteris historiae monumenta, populorum mores, Deorum culturam, superstitiosas consuetudines, penitius indagaverit, et ad necessariam anatomes cum chirurgia copulam, quam pristinis temporibus cultam fuisse legimus a), animadverterit. — Chirurgiae enim cum Anatome tam arcta est communio atque conjunctio, ut qui illam sine hac exercere vellet, aeque absurdus foret ac claudus sine grallis ambulaturus b).

a) *Celsus* in praefat. lib. I. et VII. *M. A. Severinus* Medicina efficax lib. I. pars I. cap. 2. De vario chirurgiae statu.
Barchusen (l. c. pag. 2.): „*Haec medicinae pars, quam posteri* χειρουργικην *vocarunt, primo inventa atque adeo vetustissima esse videtur.*"

b) *Goelicke.* Historia chirurgiae antiquae. Halae 1713. 8. pag. 1.
Nunn Andr. De dignitate anatomes ad chirurgiam. Erfurt 1752. 4.
Rennmann Joh. Chr. Prolusio de incremento chirurgiae ex studio anatomes. Rudolstadt 1751. 4.
J. Rhodius. Antiquitates phil. med. et chir. Lund. Scan. 1691. 4.
A. Vater. De chirurgia medicinae parte antiquissima. Witteb. 1728. 4.
Abr. Cyprianus. Oratio chir. encomiastica. Franeker 1693. Fol.
G. Harris. Diss. med. chir. habitae in amphitheatro R. S. med. Lond. Londini 1725. 8.

§. 4.

Temerarium foret contendere anatomen magna perfectione tunc temporis excelluisse, ubi primum colebatur, absurdum praesumere serioris aevi scriptores omnem suam in anatome peritiam ab antecessoribus suis jure quasi hereditario suscepisse. — In vino laudatur antiquitas, in anatomicis autem parum, „*rudis enim fuit priscorum vita et sine literis,*" ut *Plinius* ait. Quid magni praestaret in scientia tunc primum enata, hominum industria? qualis perfectio artis ab illis exspectari potest, qui ubi primum hominis exta rimari

ausi fuerunt, partim objecti difficultate; partim populorum religione, partim naturali cadaverum horrore, ad arduum munus fessas lentasque obtulerunt manus? — Attamen aliqua tunc temporis fuit internarum corporis partium notitia, sive ex animalibus habuerint sive ex homine ipso; indigesta quidem et lacera, sed simul ulterioris perfectionis compos. — Quapropter, primae historiae anatomicae pars semper conjecturalis manet, neque tamen adeo hypothetica, dum nemo sanae mentis inficias ibit, exstitisse aliquod anatomes genus ante *Dioclem* a), et aliquam etsi summe generalem entium vivorum quoad praecipuas partes internas cognitionem, — uti sequentia dilucidabunt, quod evidentissimum illis esse credo, qui medicinam non a primo scriptore *Hippocrate*, sed ab ipso *Adamo* derivant, fontibus literariis Aedepol! destituti.

a) Hunc virum primum sectiones suas literis consignasse auctor est *Galenus*. De anatom. administrat. lib. II. cap. 1. et 2. et eo magis miror, quomodo rei historicae perquam gnarus *Goelicke Hippocratem* primam rei anat. scriptorem denunciaverit. (Hist. anat. pag. 8.)

§. 5.

Quaevis scientia, nisi divinitus missa, ab initio res parva est, arsque omnis suas aetates habet. Medicina ipsa inops, manca, errorum et imperfectionis plena erat a), quid quaeso anatomes autoritati demet, si in culinis, aut a pastoribus aut venatoribus primo excultam fuisse comperiamur. Maximis rebus parva subsunt principia, quid mirum, si ab ove aut foetente hirco, aut laceratis ferarum cadaveribus originem traxerit, stupendae nunc extensionis scientia, quae terrarum dominum ad Numinis effigiem fabrefactum, a vertice ad talum in minimas audet dissuere moleculas.

a) *Ant. de Haën.* Dissertatio sistens examen tristissimi proverbii: Medicina turpis scientia. Lugd. Bat. 1735. 4. pag. 3. etc.
J. Charpentier. L'etat present de la chirurgie etc. Sedan. 1673. 12.

§. 6.

Lubenter fateor, mentis aciem in promovendis rerum anatomicarum administrationibus parum, manuum dexteritatem multum, plurimum autem casum fortuitum contulisse, id quod Anatome cum tot aliis scientiis, quae experientia nituntur, commune habet, nec illud pro artis imperfectione habendum esse censeo. Ideoque valde ingeniose *de Haën* a) anatomen cum nautica comparat, quae non eo perfectionis ab initio statim pervenit, ut vastum aequor audaci remige tentaret, aut ignotas dissitasque in undis quaereret terras. Per litora primae errarunt naves, quarum puppes crescente serius maris fiducia, ducibus astris pelago irruperunt. — Implumis nascitur aquila Tonanti fulmina ministrans, coecusque leo ferarum magnanimus rex! — —

a) Lib. cit. pag. 5.

§. 7.

Anatome non a Diis neque a Heroibus, sed tamquam scientia homini proxima, ab ipsis hominibus originem habet. — Non ut morborum (qui tunc felici orbe exularunt) curationes tutius subirent, nec ut Summi Creatoris sapientiam in Creaturis ejus admirentur, humanum aut animalis cujusdam cadaver primitus homines aperuerunt. Nullus enim morbus hominem tunc Deo similem infestavit,

— — — „jejuna priusquam
Infelix vetito vitiasset guttura pomo;“

ibi nondum

„brevis veloxque aetas et plena malorum.“

Sobria et natura duce tuta morbis, hominis vita erat, quem nondum gulosi ventris illecebrae, aut carnes enervans mollities, aut vetitarum voluptatum hami naturali lege detorserunt. — Aegritudinum superba cessat potestas, ubi modicae dapes et sobria pocula, duroque homini superfluus Apollo a). — —

Forsan quoque non tanta erat hominis feri et sylvestris discendi cupido, ut fratris aut socii defuncti corpus sacrilega manu violaret, et ignotarum rerum ibidem apocalypsim quaerat. Per sylvarum deserta nemorumque umbras vagatur homo primigenus, aliorum praedam vi dolove faciens, ut jejunum saturet ventrem corporisque nudi tegumentum habeat. His intentus laboribus nec philosophiae, nec medicinae neque minus anatomes necessitatem videt. — Nihilominus aliquam ipsi fuisse internae corporum animatorum structurae notitiam, caede et rapina partam, contendere audeo. — Caesa enim animalium corpora exenteravit certe, priusquam in dapem converteret, quod ipsa bruta quoque faciunt; sub ipsa coena cruenta partium differentiam animadvertit, duras, molles, succulentas, rigidas, sapidas, insipidas, aliasque; — inde lotium bilemque acerbam in vesica contineri propria, foetentem alvum membranoso custodiri canali, semesaque nutrimentorum fercula amplo utre servari primus observavit, similiaque in suo corpore esse simpliciter conclusit. — Ita membra ossibus firmari iisque circumpositam carnem fibroso tendine muniri, sanguinem propriis tubulis arceri primus vidit, sibique talia quoque esse praesumsit. — Ita mollem tepidamque pultem, quam capitis ossa cingunt, in causa esse credidit, quod icta ad caput animalia prius occidant, ita cordis thorace evulsi tremores videns, simile quoque sibi esse, quod latus indesinenter feriat organon, certus fuit. — Ita passim vidit osseam diversorum animalium compagem carnibus sceletopoëo sole tabefactis residuam, indeque similem sibi esse thoracis corbem, similem vertebrarum seriem, longaque femora, amplamque pelvim naturam dedisse; — ingravidatam foeminam simili utero foetum gestare, quem sub animalium praegnantium caede toties invenerat, facile intelligit, et exclusi pusionis primum nutrimentum in mammis parari multiplici experientia confirmatum habuit; — quin imo in animalibus ipsis obscura quaedam indicia invenire facile potuit, ac si illis quoque esset aliqua corporis proprii cognitio. Ita *Prosper Alpinus* b) de venaesectione sermonem habens ait:

»Hoc remedii genus quibusdam animalium exemplis perdocti invenerunt homines praesertim hippopotami, equi marini, ut Plinius auctor est, qui ingluvie obesus, crus in arundinis stipitem acutissimum adigens venam vulnerando, copiosius sanguinem effundit, atque ita fuerit ipsius corporis plethoram tollere solitus.« — Ita capras suffusione laborantes junco aculeato in oculos adacto visum sibi restituere, *Galenus* c) auctor est, — notaque omnibus de Ibide fabula, ave Aegyptiaca, tamquam prima clysmatum inventrice. d) — Plura ne molestus fiam, de anatomes existentia hominum generi quasi congenita, blatterare nolo. — Sufficiant haec! — quae insuper lectori benevolo pro diversa ingenii et conjecturarum feracia ulterius exornanda relinquo.

a) Medicinae originem ab *Apolline* derivant historiographi, quem ita dicentem *Ovidius* habet:

„*Inventum medicina meum est, opiferque per orbem*
Dicor et herbarum subjecta potentia nobis."

b) De praesagienda vita et morte aegrotantium. Lib. VII. cap. 2.

c) Introductio in art. med. cap. I.

d) *Joh. Beverovic.* Encom. med. Roterod. 1665.

§. 8.

Hallerus itaque multum mihi errare videtur a) (quod summa hujus Viri pace dictum esse volo) adfirmans, anatomen non perinde antiquam esse ac herbarum scientiam. — Non enim de artificiosa quadam dissectione cultro aut forfice eleganter instituta, sed de cruenta dilaniatione sermo nobis est, rudi ungue peracta.

„*Disruptos nudis laniarunt dentibus artus.*"

Iste error inde mihi scaturire videtur, quod *Hallerus* hominem ad herbivora damnaverit, et carnium escam (quacum necessario anatomes quoddam genus cohaeret), tunc introductam existimaverit, ubi ad subeundam cum feris pugnam, arma parare didicerit homo, quorum usus multo post, et crescente hominum cultura invaluit. — Sed quo simplicior populus et ortui propior, eo magis venatu delectatur et fe-

rarum caede, quo magis vero barbariem exuerit, eo prudentius ancipitem cum bestiis martem fugit, agrorum culturae semet accingit, et feras cicurat bestias. — Nec etiam arcus et sagittae primigenis necessariae erant, quibus herculea manus ad brutorum animantium imperium valentissima erat.

a) Bibliotheca anat. Tiguri. 1774. 4. Tom. I. §. 1.

§. 9.

Ex his, quae modo adduximus, non quidem cultum aut perfectum sed barbarum et rude evincitur anatomes genus, casu aut instinctu inventum, crudisque manibus exercitum, sed tamen sufficiens, ut aliqua verosimilitudine suspicari nobis liceat, corporis animalis naturam nunquam terram prorsus incognitam fuisse.

§. 10.

Ubi ad societatis usum necessitas coëgit homines, ferales magis dedidicerunt mores, errabundam vitam venatusque cultum desueverunt, fixa sede cohabitarunt et in inveniendis aut parandis omnibus illis, quae sibi suisque necessaria erant ad vitam sustinendam commodamque reddendam, ingeniosi esse coeperunt. — Tunc primum sibi amicas reddere arvorum nemorumque cultrices bestias, brutaque sibi assuefacere tentarunt, animalium vires suis substituerunt, humores carnesque eorum in escam facilius parandam converterunt, et parumper magis iterum inter mactandum in arte anatomica profecerunt. —— Hisce curiositatis gratia ea subjungam, quae *Lancisius* a) ex mythologicis affert pro divina anatomes origine argumenta. In Olympo enim natam, a diis primo exercitam, et dein hominibus traditam esse narrat scientiam anatomicam.

Nondum enim mortalibus innotuit anatome, cum eam apud superos miro artis rudimento feliciter eluxisse sapientissimi veterum fictis fabulis adumbrarunt. Jupiter enim gravi capitis dolore laborans Vulcanum ad cranii dissectionem fer-

tur adhibuisse, qui vix ferro cranium Deorum principi reseraverat, cum Minerva, res dictu an visu mirabilior?

„Emicuit parmamque ferens hastamque tremendam!"

Sic sapientiae Dea, quae se a prudentissimi Jovis mente genitam gloriabatur, non aliter quam obstetricante Anatome in lucem prodire potuit; quibus facete subjungit: »Haec sane mecum ipse aliquando revolvens sub hujus fabulae cortice veram dulcem medullam diu latuisse deprehendi; non aliunde videlicet, quam ex Anatome admirabilem perfectamque sapientiam, perinde atque ex dissecto Jovis capite inter medicos ortam fuisse. — Huc quoque illa Bacchi in Jovis femore aperto excubatio et Apollinis de Marsya anatomica vindicta spectat, de qua *Ovidius:*

»Clamanti cutis est summos direpta per artus
Nec quidquam nisi vulnus erat, cruor undique manat,
Detectique patent nervi, trepidaeque sine ulla
Pelle micant nervi; salientia viscera posses
Et pellucentes numerare in pectore fibras!« — —

Risum teneatis amici et ignoscite Ciceroni pro domo sua clamanti! — Equidem de hisce narratiunculis in basim scientiae nostrae convertendis serio nunquam cogitarem, sed liceat ea quoque colligere, quae praeter rigidam tractatus historici certitudinem, etiam oblectamenti quid legentibus habent.

a) Hum. corp. anatomica synopsis. Prolusio, quae exstat in Oper. omn. Genev. 1718. 4.

Caput secundum.

Incrementa anatomes.

§. 11.

Anatome culinaris.

Multum incrementi Anatome nostra ex culinis habuit, in quibus prima tenebat incunabula. Communissima saltem haec et cuivis exercere licita anatome, quia sine sorde aut paedore agitur et in ventris delicias. Ab *Hallero* a) et *Goelickio* b) inter antiquissimas solidioris scientiae prodromos numeratur, vacui ventris imperio inventa ante medicorum memoriam et morborum longaevam antiquitatem, a sordida ancilla excultam vel fuliginoso coquo,

„*Cui sua sordentem pinxerunt arma colorem*
Frixurae, cucumae, scruta, patella, tripes."

Facilis haec et grata omnibus disciplina commodum lanienae Hippocraticae praenuncium egit; innocua enim altilium pectora, habili veru transfigere facilius mehercle! opus, quam horridum et foetoris plenum cadaver docta dividere novacula. — Coquorum etiam quondam major auctoritas fuit, quam hodiedum inter gulones. Ita *Athenaeus* c) confirmat, coquos antiquos τῆς θυτικῆς h. e. artis sacrificandi peritos, nuptiis et sacrificiis praefuisse, ita ut publico quodam munere ex. gr. praeconis defuncti, in coquorum aut victimas sacras caedentium chorum translati essent. Ministri extispicum ii ipsi coqui fuerunt, quorum aliqua in deglubendis et aperiendis animalibus, inque eorum bono malove statu dijudicando peritia aestimabatur, secundum *Athenaei* d) senten-

tiam. Apud *Homerum* κήρυκας i. e. praecones, boves mactare soliti fuerunt; — inde θυειν Graecis sacrificare erat et mactare — unde Gallorum forsan *tuer* i. e. occidere.

Agamemnon Tantalides et Thrasymenes, Nestoris filius, coqui fuerunt, et *Philo* medicis ipsis coquos aequiparat — — e). Lentos itaque velim reprimas cachinnos Lector! si anatomes nostrae cum culinaria re germanitatem defendam, quod praeter me quoque *Galenus* facit dicens: »*Et qui praeterea est nedum medicus, sed ne coquus, qui nesciat, sanguinem a corde pulmoni per unicam venam subministrari;*« — et alio loco: »*Medicos Romanos anatomen discendi gratia cum exercitu Germaniam profectos esse, et proelio caesorum hostium cadavera post pugnas dissecuisse, non plus vero inde cognitionis hausisse, quam coquos,* idque quia rerum anatomicarum *ignari huic labori semet accinxerunt;*« et praeter *Galenum* quoque *Du Fagon* g) celebris quondam Galliae regis archiater.

Coquorum in anatome peritiam confirmat quoque *Soranus* h) narrans, quod in Gallia uterum suibus excindant, ut pinguiores fiant, aut ovaria sola. — Ista suicidarum audacia ad homines quoque extensa fuit, recordor enim legisse, inter Helvetos celebrem ejusmodi suicidam, nimiae uxoris suae fertilitatis pertaesum, ovaria ipsi audacter exstirpasse, quod in Hungaria quoque nuperrime factum amicus retulit.—

Pronum inde est, coquorum, lanionum et anatomicorum artes, natura non differre, unamque alteri necessitatis cujusdam vinculo connecti.

a) Biblioth. anat. p. 3.

b) Introduct. in hist. lit. anatomes. Francof. ad Viadr. 1738. 4. pag. 11.

c) Apud *Guilielm. Stuck.* Antiquitates conviviales. libr. III. Tigur. 1582. fol. p. 180.

d) Ibid. paulo infra.

e) *illa* (ut ait) *cum differentia, quod medici omni cum studio illa praeparent, quae sint salubria, etiamsi sint injucunda,*

atque coqui nulla fere habita valetudinis ratione, voluptatem tantum sectantur.

f) Libr. de nat. hum. comm. 2.

g) Apud *Barchusen.* lib. cit. pag. 130.

h) lib. de matrice.

§. 12.

Apud Judaeos, qui sese ex cadaverum tractatione pollutos iri credebant, praeter lanienam et culinariam nulla prorsus fuit anatome. — Laniones vero eorum in rebus anatomicis non mediocriter versatos fuisse, ex eo patet, quod animalium, quorum carnibus vescebantur, caedem secundum leges proprias instituerint, et manuum dexteritate in ipso hoc opere excelluerint. Venas et arterias bene distinxerunt, easque a carnibus sedulo separaverunt. Huc spectat a)

a) *Ant. Germ. de Albertiz:* Specimen historiae med., an gens Hebraea olim medicinam de industria coluerit. Vindob. 1765. 4. *Benjam. Wolf. Ginzburger.* Medicina ex Talmudicis illustrata. Goetting. 1743. 4. de quo infra.

§. 13.

Victimae et Haruspicina.

Ad Deorum conciliandum favorem vel eorum iram mitigandam, varias dotes iis quondam contulerunt homines. Ab initio fruges, thura resque alias inanimatas offerebant, cruentas animalium victimas tamquam Diis ingratas religiose fugientes, uti *Ovidius:*

»*Et vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,*
Foetibus arboreis et quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.«

vel illud *Marcelli:*

»*Thure Deum placa! vitulum sine! crescat aratro,*
Nec credas placare Deum, dum caede litatur.«

Ita *Porphyrius* immensum quondam aevum fuisse ait, a quo coelitibus sacrificarunt graminis tantum virentis lanugine manibus decerpta, veluti fertilis terrae dono. Nonnisi sero ad animalium sacram caedem transierunt,

— — — — »*numenque supremum*
Caede laboriferi credant gaudere juvenci.«

quae absque ulla administratione anatomica, vel sacrificantis propria ἐγχειρήσι cogitari non potest. —

Ex hac animalium ad Deorum aras immolatione prima nobis reliquit rudioris anatomiae vestigia *Herodotus* a), immolationem ita recensens apud *Fried. Samuel. Schmidt:* »*Posteaquam corio bovem exuerant, habitis precibus alvum extrahunt, viscera adipemque in corpore linquunt, crura amputant, extremum lumbum armosque ad cervicem.*« — Hebraei sacerdotes insuper ex trunco pectusculum, ex cruribus armum dextrum, ex capite maxillas cum lingua exempta, ad sacra convivia rite paranda sedulo separarunt b). — En primos artis Democriteae, zootomiae inquam, fontes! — —

Pium litantium desiderium nihil Diis offerendi, nisi quod perfectissimum esset, eos induxit, ut attenti viscera carnesque inquirerent, priusquam flammis mandarent. Ita de illo, qui frequentius adesset vel rarius occurreret viscerum colore, habitu, situ, nexu, odore vel foetore, longo usu instructi, sana a morbosis, sueta ab insolitis dignoscere valebant, et compendiosam anatomen Deorum mysteriis dicatam sibi composuerunt. Sacerdotes callidi hoc studio unice occupati, Deorum voluntatem ex ipso illorum viscerum habitu semet divinari simulantes, lucri speciem inde habuerunt, artisque in profanorum deceptionem natae primordia, Haruspicinam nempe, intensius excoluerunt:

»*Protinus ereptas viventi corpore fibras*
Inspiciunt, mentemque Deûm scrutantur in illis.«

Inde facile intelliguntur: Anatomen primam sacras potius quam medicas res spectasse et Deorum cultus partem praecipuam constituisse. Hanc ob causam verosimiliter *Galenus* anatomen in Pacis templo publice docuit c).

a) Dissertatio de sacerdotibus et sacrificiis Aegyptiorum (ab acad. Paris. praemio donata.) Tubing. 1768. 8. pag. 274.

b) *Origenes* apud *J. G. Stuck*. lib. cit. pag. 106. 8. et in Levit. VII. 31 — 32 legitur: „*Pectusculum autem erit Aazon et filiorum ejus, armus quoque dexter etc.*"

c) *Drelincourt.* Epimetra de lienosis in Op. omn. p. 795.

§. 14.

Inter plurimas alias haec quoque sacerdotibus superstitio erat, ut quorumdam animalium sanguinem Diis gratissimum, aliorum vero valde perosum crediderint. Ita Aegyptiis non licuit immolare alias pecudes praeter sues, boves (mares), vitulos (dummodo mundi fuerint), et anseres a).

Sues Lunae et Baccho immolarunt, earumque carnes praeter lien et omentum comedebant b), inter boves mares rufos selegerunt, quem colorem Typhon habuisse fertur, famigeratus ille generis humani κακοδαίμων c). — Sus vero, invisum animal, sacra primum cote perfosum Deorum aras cruentasse, *Ovidius* auctor est Metamorph. XV.:

— — — — „*et prima putatur*
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperat anni."

Idem Fast. I.:

„*Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae.*"

Romani ovem, sus, bovem, capram, gallinam, anserem immolare consueverunt, quibus *Eulogius* d) addit: hircum, arietem, turtur et columbam. Apud Graecos tauri et caprae in usu erant, et *Sextus Empiricus* e) narrat, felem Thetidi, Neptuno equum pariter oblatum fuisse. — Gravida quoque animalia hinc inde in usum vocabantur, et ex varia foetus conditione in rebus magnis praesagium fecerunt.

Ejusmodi sacrificia fordicidia vocabantur a forda i. e. bove gravida, uti *Ovidius* Fast. IV.:

„*Forda ferens bos est, fecundaque dicta ferendo.*"

Hac occasione investigarunt, an secundum naturam omnia essent, an praeter naturam, an praeter consuetudinem, et inde faustum vel infaustum, vel incertum interrogantibus

eventum praedixerunt. Liquet inde, non sana tantum sed morbose quoque constituta viscera distinguere, illis in promptu fuisse. Illud autem prorsus non intelligo, quod *Plutarchus* f) refert: *quod non corporis solum sed et animi sanitatem in victimis scrutati fuerint.*

a) *Herodotus.* lib. II. c. 45.
b) *Fr. Sam. Schmidt.* op. cit. pag. 270.
c) *Diodor. Siculus.* p. 99.
Porphyrius (De abstinentia lib. 2.): „*Apud Aegyptios et Phoenices tanta vaccarum erat sanctitas, ut carnes humanas citius quam vaccinas gustasset quisquam.*"
d) Apud *Photium.* Biblioth. CCXXX. sub fin. cur. 5.
e) Pyrrhon. hypothes. 3.
f) Sub fin. libri: De oraculorum defectu.

§. 15.

Inquirendum venit, quaenam organa prae reliquis inspexerint haruspices, ut inde innotescat, cujus partis organicae historia anatomica primo tentata fuerit. — Maxima erat h e p a t i s auctoritas; — hepar ceu maximum et ponderosissimum corporis viscus κατ' ἐξοχην primo investigarunt, quod ex *Plutarcho* certum est: »*Et prima cadente victima ostendit ipsi hepar vates non habens caput,*« cujus examen tanti habuerunt, ut tota haruspicina ἡπατοσκοπεια quoque vocata fuerit apud *Suidam* a). — Varias etiam hepatis partes distinxerunt habentes: portas, trapezas, machairas et ungues, quae voces apud *Ruff. Ephesium* b) frequentius videbis. — portarum nomine idem quod nos intellexerunt c) (latini fissum vocarunt); trapeza d) idem quod lobus major; quid machaera sit, tacent interpretes et ego; unguem autem esse fissuras in hepatis substantia hinc inde obvias, (praecipue in hepate ovino) sine certitudine pronunciant. Loborum nomen ab iisdem extispicibus inventum, quae Arabibus Zaida, Hebraeis jotheret e) vocantur; — uti etiam viscerum complexum τα σπλάγχνα f) dixerunt. Singularis quoque de c a p i t e hepatis mentio fit, quod idem esse cum lobo ex *Hartmanno* intelligitur. Ciceroni carunculа vocatur aliisque; ideoque

Hannibal ad Prusiam fatur, ubi de eo Romanis tradendo sacra consuluit: »*An tu carunculae vitulinae mavis credere quam imperatori veteri!*« — —

Secundo Cordis molem diligenter rimati sunt σπλαγχνοσκοποι; *Aristoteles* g) enim asserens, quod cor nullum magnum morbum sustineat diu, indicium inquit, quod in nulla hostia cor ita affectum sit visum, ut in ceteris visceribus cernitur. *Plinius* h) ipse aperte dicit, cor ab haruspicibus post Pyrrhi ex Italia discessum inspectum fuisse, et quoniam Graeci cor pariter inter σπλαγχνα referrent, mirandum non est, apud *Sophoclem* et *Euripidem* toties hepar pro corde nominari i); — cordis auriculas bene noverunt k) et peculiari artificio in aperiendo thorace usi fuerunt, ita ut costas non discinderent, sed cartilagine ξυφοειδη excissa, ad cordis involucra penetrarint. — Hanc encheiresin quoque *Galenus* l) adoptavit: »*Cartilaginis mucronatae extremum vel tuis ipsius digitis, vel hamulo vehementer attollens, omnia in orbem circumdata, per quae vicinis particulis continentur, incides.*« — Apertura autem debuit esse rotunda, secus enim ad sacrificia non habebatur victima m). — (Quin imo hodiernis temporibus, Hottentotas, hominum infimos, dum animalia mactant, cordis motum et habitum curiose speculari, apud *Kolbe* n) legitur).

a) Vid. *Hartmann.* (*Phil. Jacob*) Diss. de originibus anatom. Edit. Kurella Berol. 1754. 8. cap. 2. §. 3. et *Thom. Bartholinus.* De jecoris extispicio. In ejus. orationibus. Hafn. 1668. 8. pag. 87.

b) περι ὀνομασιας τῶν τȣ ἀνϑρωπȣ μοριῶν.

c) Nomen p o r t a e h e p a t i s serius ab *Hippocrate* in anatomen hum. introductum fuit, unde venam cavam την προς τας πυλας vocavit.

d) *Ph. Car. Hartmann.* Op. cit. pag. 35.

e) *Samuel Bochartus* Hierozoic. p. I. lib. 2.: „*Atque haec fuit pars jecoris, quam poscit Deus in altari suo adoleri.*" Verosimiliter quod ei plerumque ex renum pinguedine aliquid adhaeret (*Hartmann.* l. c. pag. 27.) et pinguium e s c a, lege prohibita fuerit, uti ex Levit. VII. 23.: „*Adipem ovis et bovis et caprae non comedetis.*"

f) *Hartmann.* op. cit. p. 9. et 11.
g) De part. animal. 4.
h) Histor. natur. lib. II. 37.
i) *Hartmann.* op. cit. p. 10.
k) *A. van der Linden.* Medicina physiol. nova etc. Amstelod. 1633. 4. art. 15. §. 91.
l) De administr. anatom. lib. VII. cap. 6.
m) *Maimonides* de idololatr. cap. VII.
n) *Haller.* Bibl. anatom. §. 3.

§. 16.

Praeterea renum quoque cum glandulis succenturiatis notitiam habuerunt, quod ex Levitico a) agnoscitur Hebraeorum: »*Et offerent adipem, qui operit vitalia et quidquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis.*« Cholecystidem etiam primi invenerunt b) et ex felle ipso signum victoriae aut cladis insequuturae habuerunt, — pulmonum indaginem minime neglexerunt, uti *Cicero* c) refert, *Seneca* et *Lucanus:*

— — — non animae capax
In parte dextra pulmo sanguineus jacet.

Judaei insuper renes et omentum d), cum fibra jecoris aris imposuerunt e) et Romani scapulas agnorum et ovium divinationibus adhibere soliti fuerunt. Exta autem omento cooperiebant, ut arderent facilius, unde illud *Catulli* in Gellium:

„*Natus ut accepto veneretur carmine Divos*"
„*Omentum in flamma pingue liquefaciens.*" — —

Ex ipsis illis sacris incisionibus multa inveniuntur literis consignata, quae partim fidem superant, partim ridicula et scurrilia, nonnisi male informatis et superstitione plenis sacerdotibus, veritatis specie imposuerunt.

Inde incredibilia in cadaveribus hinc inde invenisse videbantur, aut imperitiam suam sub portentoso quodam invento, astute occultarunt, quod vero credula plebs, tamquam tale accepit, Deorumque iram, aut infortunii cujus-

dam imminentis terrorem inde patefieri certum sibi habuit. — Ita nullum g) aut bina h) corda inventa fuisse nonnunquam legimus, quod *Galenus* explicat ex minus perfecta utriusque ventriculi commissura, qualis in gallis gallinaceis frequenter occurrit i). Ita de ingente hepatis mole, lienis defectu vel enormitate, utero duplici, et hujus farinae aliis k) multa inveniuntur passim apud auctores, quibus tamen uberius explanandis eo lubentius supersedeo, quia ex dictorum complexu satis patet, anatomen inter mysteria Deorum receptam, et in vulgi deceptum exercitam, aliqua saltem tunc temporis, etiamsi minoris momenti incrementa cepisse.

a) Levit. VII., 3—5.
b) *Aristoteles.* Histor. animal. 17.
c) De divinitate.
d) *Josephus.* Antiquitates judaicae. 10.
e) Fibram jecoris, lobo dextro aequivocam, ait *Oribasius* (Collectanea art. med. cap. 27.): „*Dexter ren nonnunquam magnam jecoris fibram* (lobum) *attingit.*"
f) *Mich. Psellius.* De divinatione ex omoplatis. Lambec. lib. VII. p. 224.
g) *Valer. Maximus* (cap. VII. De prodigiis 13.): „*Mactatoque opimo bove cor in extis non reperisse, ac responsum tibi* (Caesar) *a Spurina aruspice, pertinere id signum ad vitam et consilium tuum, quod utraque haec corde contineretur.*"
h) *Plinius* hoc affirmat de perdicibus Paphlagoniae. Similes quoque historias habet *Thom. Bartholinus* in Histor. anat. rarior Cent. I. Hist. 67.
i) Administr. anatom. 7.
k) *J. Franc. Lempoël* Specimen inaugur exhibens anatomiae originem etc. Lugd. Batav. 1725. 4. et *Jos. Ant. Haag.* Antiquitates anatomicae. Oenipont.

§. 17.

Victimae humanae.

Hactenus de animalium sacra caede, cujus in anatomen nostram influxus beneficus si negari non potest, multo auctior hic censendus erit, quem ab hominum corporibus ad

Deorum altaria vel ad tabulam anatomicam caesis, antiquitas habuit. —

Vivos homines in experimenta medica adhibitos fuisse, omnibus comperta res est! — Ita Mithridates, et Attalus rex omnium remediorum, quae antidoti nomine veniunt, vim in illis hominibus, qui capite punirentur, experti sunt; a) — Romani pontifices flagitiosos homines patibulo destinatos medicis concesserunt, ut venenorum effectus in illis tentarent b). Taceam de illis, quos pestilentiae cujusdam temporibus ad humanda cadavera coëgerunt, de illis, quos ad venena colligenda in Asiae regionibus fervido sole ustis, ad deserta mittunt, de illis, quos recentissimis temporibus ad indagandam cholerae naturam contagiosam vel epidemicam in experimenta vocarunt; — haec enim aliquam humanitatis speciem praeseferunt; eorum autem exempla referre, qui hominum immerentium cruore impias manus contaminarunt, horret anima. Bestiarum crudelissimae nonnisi in dispar genus saeviunt, parcitque cognatis maculis fera tigris; homo vero, quem ratione praeditum, sui internuntium terris Deus dedit, ut libidini blandiatur aut curiositati satisfaciat, naturae sacrosanctas leges violare non abhorruit. —

Primam hominis anatomen in Deorum delubris institutam fuisse, contendo. — Nihil adeo turpe aut vesanum invenies, quod non magni habuerint homines! — quomodo autem eo dementiae et feritatis pervenerint, ut ex hominum caede gratum sese aliquid superis praestare crediderint c), hoc intellectum superat. In turpissimum, horrendumque dictu facinus degeneravit, pia Deorum veneratio et vana superstitione obcoecati homines, fanatica ravi in proprias carnes perfurarunt.

Ast rerum dominum morem esse, *Seneca* ait, et jure bono. — Veteris historiae monumenta pervolvas et vix invenies populum, qui non sanguine humano pollutas manus, supplices ad Deos attollerit, quod effari non auderem, nisi tot praesto essent, qui rei fidem faciunt, auctores. —

Diodorus Siculus d) narrat, Aegyptios hujus sceleris inventores, homines coloris rufi in Osiridis e) sepulcro Typhoni f) mactasse, et *Eusebius* g) auctor est, quod Junoni quotannis tres homines sacrificaverint, simili ceremonia ac si vituli essent, quam horrendam hostiam Amosis rex, primus abrogavit. Apud Indos h) moris fuit, próximos parentesque, priusquam annis aut aegritudine in maciem eant, velut hostias caedere, ex peremptorum visceribus epulas habere, idque non sceleris sed pietatis loco numerare; quod idem Padaei i) faciunt cum aegrotantibus. Derbices k), Scythiae gens, septuagenario majores jugulant, comeduntque, caventes tamen a vetularum carnibus, ante id tempus denatos vero inhumant. Celtae l) homines immolant, feriuntque eos ense super septum transversum, quo concidente tum ex lapsu, tum ex membrorum dilaceratione, tum etiam ex sanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum observatione norunt futura. Heliogabalus et Julianus Apostata ex hominum viventium visceribus adhuc calentibus, futurorum eventus auspicabantur. Lusitanis m) mos erat, ex intestinis hominum exta inspicere atque inde omina et divinationes captare. Massagetae, Scythiae gens, eos miserrimos crediderunt, qui morbo decumbentes morerentur, eosque potius feris bestiisque devorandos projiciebant, parentes vero et propinquos senio confectos jugularunt, eosque in frusta conscissos et ovium carne permistos in coena absumebant, rati, se illis bene prospicere, quibus melius foret a propinquis, quam a vermibus comedi n), quod Essedones quoque et Ponti accolae fecisse dicuntur, qui corpora laniata consumunt, capita ubi fabre expolivere (En primum σκελετοποιης exemplum!) auro vincta pro poculis gerunt, quod est apud illos ultimum pietatis officium o). Bene itaque dicit *Lucianus* p): »*Graecus cadaver urit, Persa defodit, Indus suillo adipe linit, Scytha vorat, muria condit Aegyptus.*«

a) *Joannes Riolan.* Op. omn. Paris. 1610. fol. cap. 7.
b) ibid.

c) *Philo* Judaic. p. 293.: „*Gentes barbarorum mactationem liberorum pro sancto opere et Diis grato habuerunt.*"
d) *F. S. Schmidt.* Op. citat. pag. 277.
e) Homines coloris rufi advenas et peregrinatores Aethiopicos fuisse credit idem.
f) vid. §. 14.
g) Praep. Evang. 4. 16. *Theodoret.* de Sacrificio. cap. 8.
h) *Solinus* Polyhistor. De moribus Ind. c. 52.
i) vid. *Stuck.* l. c. pag. 78.
k) *Strabo.* Geograph. lib. 3.
l) *Diodorus Siculus* lib. V. cap. 9.
m) *Strabo* l. c.
n) *G. Stuck.* l. c. pag. 78. et *Claudianus* in Rufin.:

— — — — — — — — „*quibus*
„*Praeda cibus, vitanda Ceres, fratresquae necare*
„*Ludus, et occisos pulchrum jactare parentes.*"

Mortis terror ceterum illis non tantus erat, narrante *Pomponio Mela* (De situ orbis. III. cap. 5.) : „*Habitant lucos sylvasque et ubi eos vivendi satietas magis quam taedium cepit, hilares, redimiti sertis, semet ipsos in pelagum ex certa rupe praecipites dant.*"
et libr. III. cap. 7.:
„*Mortem non expectant, sed ingerendo semet ignibus, laeti et cum gloria arcessunt.*"
o) *Pomp. Mela.* l. c. cap. 1. lib. II., quod etiam de Celtis habet *Silius Italicus* in Punicorum libro tertio:

„*Ast Celtae vacui capitis circumdare gaudent*
„*Ossa (nefas!) auro, mensisque ea pocula servant.*"

p) lib. de luctu.

§. 18.

Animalium vivorum dissectionem illicitam et homine indignam nonnulli proclamarunt a), quo jure ergo illa excusanda aut quibus armis defendenda esset, quae in homine adhuc vivente instituitur anatome. Infames sese hoc nomine reddiderunt *Herophilus* et *Erasistratus*, qui testante *Cornelio Celso* b): »*nocentes homines a regibus e carcere acceptos vivos inciderunt, consideraruntque etiam spiritu remanente ea, quae antea clausa fuissent.*« *Numulicinthes* Thracus,

homines vivos secuit et Cambyses juvenem, quem sagitta occidit, aperuit, ut monstraret, se cor ejus directe feriisse, narrante *Hallero* in Bibl. anat. — *Tertullianus* c), fide dignissimus ille librorum sacrorum interpres, pariter locum habet, qui immanem horum virorum crudelitatem extra omne dubium ponit: »*Herophilus ille medicus v. lanio, qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, qui hominem odit, ut nosset, nescio, an omnia interna ejus liquido explorarit, ipsa morte mutante, quae vixerant et morte non simplici, sed ipsa inter artificia exsectionis.*« — Apud barbaros et paganos similia patrata fuisse equidem non miror, nec dubito, plures praeter dictos, carnifices exstitisse, quorum tamen ad nos non pervenit memoria; illud autem non capio, quod inter Christianos quoque fuerint nonnulli, medici dicam an laniones, qui vel suo marte, vel sub legum et principum tutamine d), vivorum hominum exta rimari sustinuerunt. — Anno MCCCCLXXIV. Ludovicus XI., Christianissimus Galliae rex, Chirurgis Parisinis permisit, ut milites inter arma captos, ad experimenta chirurgica vivos habeant, et calculi vesicae extrahendi modum varium tentarent e). De *Jacobo Berengario* Carpensi narrat *Fallopius* f), quod duos aegros syphilide laborantes vivos adhuc dissecuerit, eorumque anatomen magnis encomiis extollerit. Caroli IV., Bohemiae regis, temporibus, ubi cadaveris feminini interanea *Jessenius*, Pragensis chirurgiae et anatomes professor, discipulis suis demonstrare vellet, nec tale cadaver forte praesto esset, magistratus carnificem jussit: »*Abi! et trucida unam ex inclusis reis, ejusque corpus nudum in theatrum anatomicum deporta!*« g) — Fridericus III. h), Danorum rex, idem permisit scelus, et Franciscus I. i), Galliae rex, condemnatos quoque usibus chirurgicis concessit. *Andreas Vesalius* k) feminam nobilem Hispanam morbo afflictatam, pulsante adhuc corde aperuit, — mortis reus inde factus, autoritate et precibus Caroli V. autem liberatus, a tribunali inquisitorio, Hierosolymam missus ad expiandam sceleris culpam, naufragiumque passus ad

Zazynthum insulam ante diem e vivis evasit. Ipse ille vir secundum ejus verba, »*saepius judicibus molestus erat, ut hoc vel illo supplicio homines necari curent, sive in hoc v. illud tempus suis sectionibus opportunum, vivos servent*« l). *Fallopius* m) narrat, medicos Pisanos, homines supplicio destinatos a judicibus impetrasse in usum dissectionis, quibus opii binas tresve drachmas ex vino meracissimo exhibebant: »*ne ullos humores dissipari contingat aut crassiores spiritus evanescere.*«

Inter Franco-Galliae medicos plures invenies, quorum nomini haec inhumanitatis et crudelitatis macula inusta manet, neque frustra *J. Riolanus*, ubi de variis anatomen comparandi modis verba facit: »*Ad delectum corporis*, ait, *sex conditiones requiruntur, quarum princeps: ut sit mortuum, non vivum!*« etc. — Sed oportet vela contrahere, ne ex angusto programmatis portu, in vastum erumpam criminum tristisque feritatis pelagum, quae anatomiae nostrae turpiter adhaeret, nec ulla unquam delebitur hominum oblivione n). —

a) *Chr. Sigm. Wolff.* Disputatio de moralitate anatomes circa animalia viva occupatae. Lips. 1709.
J. Ch. Einigk. De crudelitate in bruta animalia. Lips. 1701. 4.
Lud. Apinus Disp. an liceat brutorum corpora mutilare. Altdorf. 1722. 4.

b) De medicina Prooemium p. 7. Paulo infra id optimo jure factum fuisse ait: „*Non enim crudele est, sicut plerique proponunt, hominum nocentium et horum quoque paucorum suppliciis, remedia populis innocentibus saeculorum omnium quaeri.*" Docte de hoc argumento disserit supra laudatus *Ottomarus Goelicke*, in Introd. ad hist. lit. anatomes pag. 53.

c) In libro, qui inscribitur: Unum esse spiritum et animam; — etiam videatur *M. Portal*, Histoire de l'anatomie et de la chirurgie. Paris 1770. 4. Tom. I. pag. 50.

d) *Goelicke* op. cit. pag. 53.

e) *J. Riolanus.* op. cit.

f) De lue Venerea. in Opp. omn. Francof. 1600. fol.
Etiam hic vir suum defensorem habet Cl. *Astruc* De morb. Venereis. Paris. 1740. 4. p. 618.

g) *Burch. Adam. Sellius.* De anatomicae hist. scriptoribus atque comment. Kiel. 1731. 4.

J. C. Rennmann. Prolusio de incremento chirurgiae ex studio anatomes. Rudolph. 1751. 4.

h) *Portal.* op. cit. preface. p. 24.

i) *Portal.* loc. cit.

k) *Jac. Douglas.* Bibliographia anat. Lugd. Bat. 1734. 8. pag. 79.

l) Epistol. *Andr. Vesalii* ad Joach. Roelandts. Basil. 1546. pag. 199.

m) In libro de Tumoribus cap. 14., item *Levinus Lemnius* lib. 2. de occultis naturae miraculis. cap. ultim.

n) Quin imo in artibus liberalibus hominum vivorum tormenta in usum vocata fuisse, rumor est; ita *Parrhasius*, pictor Atheniensis, ex captivis Olynthiis, quos ad servitium vendidit Philippus, Macedonum rex, unum emit, eumque immani tortura vexatum, tamquam effigiem Promethei ab aquilis membratim dilaniati depinxit.

Idem de *Michaële Angelo* narratur, qui, ut Christi Crucifixi vivum exemplar haberet, simili caede hominem vivum intermisse dicitur.

§. 19.

Casus fortuitus.

Multa invenit, multum praeclare auxit anatomen casus, cujus tanta in scientiae nostrae annalibus auctoritas est, ut ferme omnium partium, quarum cognitione gloriamur, prima inventio ipsi debeatur a). Id enim conspectus variorum inventorum docet, nullibi ea quaesita fuisse, ita ut eorum existentiam mente prius conficerent, quam oculis vidissent, sed animo manibusque in alia directis quasi obviam venisse. — Fuit quondam tempus, ubi non tantum profani, verum ipsi etiam medici summo odio in anatomen ferebantur, eamque cane pejorem et angue, ingenuo homine indignam, sordidam et detestandam plenis buccis profanarent. — Ea erat Empiricorum schola, quae artem medicam non ab anatome sola, verum praecipue a morborum observationibus, absque ullo fundamento anatomico institutis pendere arbitrabatur. Naturale quoque et innatum homini morticinorum

odium in causa erat, ut suorum cadavera vermibus lubentius devoranda, quam anatomicis dissecanda reliquerint. Ideo *Galenus*, veteris anatomicorum turmae antesignanus, cui non licuit humanum sceleton inspicere arte factum, Alexandriam profectus fuit, ubi medici ossium disciplinam auditoribus ante oculos exposuerunt b), suasitque discipulis suis et amicis, ut idem faciant, vel in hunc modum hominum ossa contemplari adniterentur, quo ipse consuetim usus fuit: »*siquidem conspexit subinde vel sepulcris vel monumentis dissolutis per fluvii vallum superantis torrentem vel in latronis quandoque cadavere assiccato v. vulturibus consumto, quod tale occurrit nonnunquam, quale medicus ipse ad adolescentis disciplinam de industria praeparasset*« c). — Ille idem vir discipulos quoque cum exercitu in Germaniam misit d), ubi tunc bellum adversus Marcum Antonium flagrabat, ut ex hostium occisorum aut vulneratorum inspectione partium situm intelligant: »*Pariter in eorum, qui mortis erant damnati aut feris expositi, corporibus multi saepe, quod ipsis liberet, conspexerunt, ad haec in latronibus, qui in monte jacerent inhumati*« e); — »*quin et putrifica quaedam vitia ita aliquando extenuata ante omnia, quae suberant, detexerunt, ut nudae conspicerentur venae, idque per omnes continentes corporis partes videre tum maxime licuit, dum foeda quaedam carbunculorum lues in Asiam ingruisset* f). —

Empiricorum Secta anatomen practicam omnino neglexit dicens, sufficere hominum vulneratorum partes apertas inspicere, non vero hoc scopo homines secare. Illi ex vulnere magno, abscessu rupto, aut ex sphacelo strata consumente anatomen didicérunt, quam την κατα περίπτωσιν vocarunt, de qua *Celsus* g): *Interdum gladiatorem in arena, vel militem in acie vel viatorem a latronibus exceptum sic vulnerari, ut ejus interior pars et in alio alia aperiatur, atque ita sedem positum, ordinem, figuram similiaque conspicere prudentem medicum, non caedem sed sanitatem molientem, idque per misericordiam discere, quod alii dira*

crudelitate agnoverint.« — Ex ipsa etiam vivorum hominum inspectione externa, vasorum majorum musculorum etc. situm intenti speculabantur. Ita *Galenus* : »*Has omnes venas in gracilibus multis ac copioso sanguine, venisque amplioribus praeditis palam vel ante consectionem cernere est; — manu autem immissa intercipienda est, quacumque in parte venas repletas manifesto videre lubeat.«* — Et inferius paullo: »*Quae igitur de cubiti et manus summae venis nuper retuli, omnia citra consectionem plerisque in hominibus obviam est videre, quemadmodum etiam quod ea, quae postquam axillae vena in ramos ante cubiti articulum scissa fuerit, ad flexum pervenit, subjectam arteriam continet, quam in macilentis natura magnisque pulsibus praeditis, tactu motum aliquatenus indicante deprehendimus.«* Nec rationi absonam rem declararem, musculorum praecipue non tantum situm et figuram, sed actionem etiam in hominum torosa carne validorum vivis corporibus speculari, quod item fecit *Galenus*: »*Brachii anterior musculus, qui juxta venam humeralem omnibus vel ante consectionem adparet, maxime in Gymnasticis duo habet capita suspensa.«* Haec quidem crassa sunt neque multum roboris habent ad veterum virtutes anatomicas statuendas. — Verum etiam fortiora nobis arma supersunt in eorum meritis erga modernorum calumnias defendendis, ea nempe quae candidissimi antiquitatum anatomicarum defensores *Laur. Dutens* h), *Henr. Heucher* i), et *Cl. Jobert* k) nobis suggerunt dicentes: »*Longe maximam inventorum novorum partem, jam apud antiquos abunde innotuisse, quibus prima inventionis gloria merito debeatur.«* Ego quidem hanc sententiam mordicus tenere nolo, nec adeo durae cervicis sum, ut temporis acti inventorum feraciam negarem, illud tamen semper ore et calamo defendere paratus ero: nos erga veterum merita aequiores certe futuros, si opera eorum majori animo legerentur.

a) *Gottfr. Welsch.* Diss. de anatomicorum et chymicorum inventis casu magis quam consilio detectis. Lips. 1641. 4.

b) Administ. anat. lib. I. cap. 2.
c) Ibidem.
d) Ibidem paulo infra. — Antiquissimus ille mos est et a Lycurgo institutus, *si quando nempe acies formaretur, chirurgi assistant, vulneratis opem laturi.* (*Xenophon* Respubl. Laced. p. m. 670.) — Non defuit igitur marte ipso prosectore anatomen discendi occasio!
e) Admin. anat. lib. III.
f) De venarum dissectione.
g) In praefat. libri de medicina. edit. *Almeloveen.*
h) Recherches sur l'origine des découvertes etc. Paris 1766. 8. 2. vol.
i) Litigia circa inventa anatomicorum. Viteberg. 1707.
k) Justification des anciens, etc. Paris 1690. 12. et *Th. Jans. ab Almeloveen.* Inventa nov.-antiqua. Amstel. 1684. 8.
Vid. *Laur. Roberg.* Diss. de inventis anatomicis recentiorum, eorumque in medicina usu. Upsal. 1700. 4.

§. 20.

Id genus anatomes a) antiquius longe est, et multo ante scholae empiricae originem natales suos extendit, testante Philosopho b). Quis enim magister primis anatomes cultoribus explicuit confusum indigestumque cadaveris chaos? — quae illis in arduo, laboris et fatigii pleno dissectionis opere erat cynosura, si casum excipias, a quo omnis empirica scientia ortum habet, incrementum et perfectionem; — Mehercle ni casus fortuitus c) adeo propitius fuisset sordido anatomicorum operi, nunquam eo perfectionis delata fuisset invisa hominum generi scientia, ut nunc artis medicae habenas potenter regeret. — — Osteologia inde maximum augmentum habuisse videtur, quod pronum cuique erit, qui ad ea animadvertit, quae hodiedum etiam occurrunt. Ossa enim ubivis ferme reperiuntur vel singula vel cohaerentia adhuc, — nonne bestiarum coxae, spondyli, calvariae, zygomata, mandibulae, passim in itineribus obviae et syrio ardente dealbatae nostram quoque attentionem in se convertunt?— nostram ajo, qui haec jam aliunde perbene noscimus, nonne

major necessario eorum admiratio et attentio fuisse debuit, qui haec similiaque primo intuebantur? — Revera nihil adeo potenter hominis inculti sensus occupat, quam ossium reliquiae, quae facundo silentio propriae vitae fragilitatem testantur. — Nonne, inquam, hodiernis temporibus maximi osteologiae thesauri ex ossium late per terram sparsorum collectaneis succrescunt? d) — Omnino! et quousque stabit scientia anatomica, quousque hominum manus cadaverum rimationibus delassabuntur, quousque denique ulla adhuc anatomes perfectio per temporis progressum cogitari poterit — omne augmentum, omnisque perfectio ulterior a casus fortuiti potenti dictatura dependebit. —

a) *ἡ κατὰ περίπτωσιν ἀνάτομη*, quae etiam vulneraria aut fortuita apud *Galenum* audit (Administr. anat. libr. 3.): „*Anatome enim partium latentium contemplatio duplex est, altera ex instituto, altera ex casu.*"

b) *Ph. I. Hartmann.* De peritia veterum anat. in genere. Edit. Kurella. Berlin 1754. 4. p. 137. etc.

c) *C. B. Albinus.* Diss. de anatome errores detegente in medicina. Ultraj. 1723. 4.

Frid. Wilpert. De necessitate utilitateque anatomes in facienda medicina. Lugd. Bat. 1733. 4.

Georg. Frid. Siegward. Medicus non anatomicus non medicus sed medicaster, non inutilis tantum sed perniciosus plane. Tubing. 1763. 4.

Mauger de St. Marc. Discours sur l'utilité de l'anatomie. Paris 1764. 8.

Aug. Heinrich Fasch. Anatome quod sit columna praxeos. Jenae 1674.

Frid. Hoffmann. De anatomes in praxi medica usu. Leidae 1707. 4.

Jerom. Louis Bachetoni. Anatomia practicae ministra. Norimberg. 1740. 4.

d) *A. Haller.* Biblioth. anat. Tom. I. §. 6.

Caput Tertium.

---

§. 21.

Impedimenta.

Hactenus de incrementis artis anatomicae rudis licita conjectura verba fecimus, oportet quoque in ea inquirere, quae ulteriori ejus perfectioni impedimento erant. Anatome enim vix in lucem edita, tantis undiquaque obruitur difficultatibus, ut mirum videatur, quomodo imminentem interitum tuta vitaverit et incolumis. Tota ejus historia (sive veterem sive recentiorem considerares) longam sistit alternantis floris et deliquii catenam, ita ut saepe retrograda, saepe fere tota exstincta, literarum orbe exularet diutius, donec ab uno alterove oblivioni erepta, et caducae per tempus existentiae reddita fuisset. Ratio latet in ipsius scientiae infirmitate, quae repetito occasu increvit, et in communi mortalium erga eam despectu, quae per hominum memoriam illi defuit nunquam. — Infirmitas inde venit, quia anatome omnis nexus cum medicina practica expers, per se parum roboris habuit, et tantum a philosophis in speculationes privatas adhibita fuit a). — Odium vero, quod sibi contraxit, inde est: Homo in laeto vivorum cyclo morans, oppositum polum timide fugiens, quidquid ipsum de caduca sorte admoneat vel imminentis fati tristem obvertit scenam, interna quadam necessitate compulsus aversatur; viva amat, mortua nauseat, eorumque tractationem non tantum sordidam et immundam b), verum etiam turpem et ignominiae plenam jam a procul fugit; quibus illud accedit, quod cognatorum corpora denata, tristi fato aeterna quiete defraudari, de-

lirassent propingui, si eorum carnes impura cujusdam anatomici manu contaminarentur. — Inde poëta canit:

„ȣ καλὸν ἁρμονίην ἀναλεύομεν ἀνθρώποιο."
Non honestum est hominis compagem dissolvere.

Summa veterum sollicitudo, qua circa cadavera versabantur suorum, ex eo intelligitur, quod brevi post obitum mora humo vel flammis traderent, imo peculiari lege caverent, ut, si quis in insepultum hominis cadaver incidat, saltem manipulum terrae injiciat c), quae lex apud Athenienses ita audit:

»Ὃς ἂν ἀτάφῳ περίτυχῃ σώματι ἀνθρώπȣ πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν.«

quo etiam illud *Phocylidis* spectat d):

»Γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταρχύτοις νεκύεσσι.«
»Terram impertire insepultis cadaveribus.«

Eorum enim animas, quorum corpora *ἄταφα* jacuerunt, per centum annos elysio exulare et Acherontis ad ripas desolatas errare, donec vacuos agens remos portitor, eas trajiceret, religiosa fabula fuit, de qua *Virgilius:*

„Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt."
Aeneid. lib. VI.

et libro XI.:

— — — — *„Inhumataque corpora terrae*
Mandemus! — qui solus honos Acheronte sub imo est."

Inde tanto cultu ossa habuerunt, ut sollicite ea conquirerent, lectisque urnis reponerent. — Palladium ex Pelopis ossibus factum fuisse apud *Th. Bartholinum* legitur, — Josephi ossa ex Aegypto transtulerunt in Canaan Isacidae, — per parentum ossa jurarunt veteres, — et indignabundus heros Ausoniae »*ingratae patriae ne ossa quidem habenda*« relinquere voluit. »*Ossa enim durant,* ait *Tertullianus* e), *et dentes incorrupti perennant, quae ut semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione.*« Inde sacram turbare

sepulcrorum quietem nefas erat, et illud statutum ne quis violet mortus:

»κἀκεῖνο κέκριται μὴ ἐφυβρίζεσθαι νεκρῷ.«

uti etiam *Euripides* Phoeniss. act. V.:

„*Nec tumulum mortuorum refodias neque non adspectabilia Soli monstres, divinamque iram accersas.*"

Horrendum Romanis opus erat morticina tractare; carnifices, vespillones, coriarios ipsos cum chirurgis et medicis extra urbis pomoeria relegarunt, nec reorum supplicia in media urbe sumi tulerunt; — mortuorum aspectum fugiebant et in exsequiis cognatorum facem aversi tenuerunt. —

Forte in bellis licuisset armis caesorum corpora incidere; — sed tanta erat Graecorum in viros pro patria occisos pietas, ut post pugnas consuetim inducias facerent: »*ne peremtis honesta desit sepultura.*« — Magno auri pondere Priamus Hectoris occisi corpus redemit, acriterque ad moenia Trojae de occisorum cadaveribus pugnatum est. Athenienses ducem erga Corinthios missum capitis damnarunt, quod hostes persequendo victoriae suae fructus amplificare studuerit, civium occisorum sepulturae immemor. — Nonnisi reorum reliquiae tumulo carebant, quas vero tangere vetuit pudor, quare *Aelianus* f) »*malis ne mors quidem prodest, quoniam neque tunc possunt quiescere, sed aut prorsus destituuntur sepultura, aut quamquam sepeliantur tamen supremum honorem et communem omnium corporum portum amittunt.*« — et horribile cuique ἀνάθεμα erat apud *Sophoclem*:

»κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσε χθονός.«
Malus male insepultus terra excidas!

Plura hac de materia videantur apud Cl. *Grunerum.*

a) *Henr. Schulze.* Historiae anat. specimen I. in Fasc. dissert. ad hist. med. speciatim anatomes spectant. Berol. 1754. 8. pag. 399: „*Non negamus*, ait, *aliquid conatos esse quosdam, sed illo fine, ut medicae artis aut philosophiae naturalis incrementa promoverentur, hominum corpora incisa, aut brutorum etiam sectiones tam crebras, ut vulgo perhibetur,*

hac intentione cum magno fructu institutas esse, id fateor me nondum certis indiciis, quae ab historico quaeruntur, cognovisse."

b) Apud Judaeos (narrante *Josepho Flavio*) lege cautum fuit, ut qui mortuos tantum custodissent, septem dierum spatio immundi forent, et segregarentur a populo. — Graeci insuper (narrante *Hesychio*) vespillones odio prosequuti sunt, eorumque domicilia extra urbem esse voluerunt.

c) *Aelianus*. Var. hist. V. c. 14. Apud Aegyptios quoque singularis erat cadaverum etiam peregrinorum cura, teste *Herodoto*: „*Quisquis autem vel ipsorum Aegyptiorum vel externorum compertus sit mortuus, sive a crocodilo raptus, sive ab ipso flumine peremptus, necessarium prorsus est ei civitati, ad quam ejectus est, condire et quam honestissimo funere sepelire, in sacris monumentis.*"

d) Monitor. c. 94 et seq. Etiam *Horatii* illud huc spectat (Carm. lib. I. od. XXVIII.):

„*At tu nauta vagae ne parce malignus arenae*
„*Ossibus et capiti inhumato*
„*Particulam dare.*"

e) De resurrect. carnis. cap. 97.

f) Var. hist. IV. cap. 7.

g) Analecta ad antiquitt. pag. 77.

§. 22.

Quodsi sub tali rerum statu anatome nostra fere omnis procubuerit, nemo mirabitur, et lubenter veteribus condonabit; illud autem omnibus ultro imponet, quod non ita multo abhinc, in medio artis medicae flore similis fuerit artis anatomicae contemptus, qui proh dolor! etiam hodiedum illi apud plures adhaeret.

Scientiae omnes, artesque ingenuae, post literarum restaurationem, excusso tot saeculorum veterno, novoque vigore collecto, florere rursus inceperant; medicina ipsa, abjectis veteris scholae dogmatibus, liberius evoluta in hominum salutem benefice influxit; anatome vero, quae facem ipsi praeluceret, anatome inquam, medicinae dextera, quae »*principium sisteret sermonis in arte*,« ut ait divus senex a), ob cadaverum copiam denegatam alto sopore fessa

decubuit. *Tertullianus* et *Augustinus* b) sancti patres, medicos anatomen exercere »*in odium corporis humani*« perperam existimarunt, et *Bonifacius VIII.* Pontif. Max. c) barbarum et inhumanum esse judicavit, peregre mortuorum corpora exenterare. — Nescio, quam inde ignominiam honesto cuidam viro fieri credebant, si ab anatomico ejusdem cadaver tangeretur, quare meretricum tantum aut supplicio affectorum corpora medicis dissecandi potestatem fecerunt magistratus. — Ineunte saeculo XIV. in latrinis et cellis ad anatomen congressi sunt medici, lucem diurnam et hominum odium timentes, quod tantum erat, ut et capitis damnati (post supplicium ad studium anatomes concessi) in ultimis vitae angustiis »*ne discindantur*« rogarent d).

Illud anatomes odium in anatomicos ipsos translatum nomen eorum, saltem inter vulgus, abjectum despectumque fecit e).

Anno MCCCLXXVI. medici et chirurgi Pessulani quotannis unum hominis supplicio adfecti corpus magna opera impetrarunt, et magister *Bertuccius*, totam hominis anatomen quatuor lectionibus uno cadavere absolvit f): »Situato corpore in banco faciebat de ipso quatuor lectiones; — in prima tractabantur membra nutritiva, quia citius putribilia, in secunda membra spiritualia, in tertia animata, in quarta extrema.« — Belle! Euge! anatomicus uno die nascitur uti fungus! — Alii tunc temporis ob cadaverum perfectam penuriam anatomen picturis demonstrarunt g), uti *Henricus Hermundavilla* h). *Leonardas Bertapalia* i) de sectione furis cujusdam tamquam de praeclara et insolita re narrat, anno Domini MCCCCXXIX. facta, et de matricis dissectione anno MCCCCXXX. Rectore *Marco Fuscari*, Patavii instituta, ubi ad finem subjungit: »*Sepultum fuit cadaver ad ecclesiam St. Lucae, qui nos a tanto casu defendat,*« — ac si adeo horrendum foret post mortem dissecari! — — Nihilominus anno MDLXXI. excommunicationis poena huic decreta fuit, qui privatim anatomen institueret, monachisque omnibus (qui tunc temporis χει-

ῥεργικὴν exercuerunt) jam prius serio interdictum: »*homines secare*, — *Ecclesia enim horret sanguinem!*« — Carolus V. Theologos Hispanos consultari jussit, »*an licitum sit salva conscientia et absque criminis suspicione cadavera humana secare, nec ne*,« k) quibus annuentibus anatome paulo melius se habuit, et singuli eo audaciae pervenerunt, ut jura ejus publice defenderent l). *Caspari* tamen *Aselli* m) temporibus nullum adhuc theatrum anatomicum in Germania erat, omnisque juvenum medicorum institutio ex animalium corporibus dissectis habebatur n); quare Patavium migrare illi coacti fuerunt, qui corporum humanorum secandorum libidine ardebant, ubi secundum *Paschii* o) relatum chirurgus anno MDCLXI. hominem vivum dissecuerat. —

a) *Hippocrates*. lib. de flatibus.
Herrmann. Conring. Indroductio in art. med. Helmstad. 1645. 4. cap. IV. §. 2. „*Ideoque* (ait) *ars anatomica revera tantum ministra est philosophiae artisque medicae*;" et *Joh. Riolan*. (Op. cit. cap. I. pag. 6.): „*Coeca est medicina, nisi lumen ei praecesserit anatomicum*.

b) *J. Riolan*. pag. 14.

c) lib. decretal. VI. anno MCCC. Vid. *Guerner. Rolfink*. Dissertationes anat. Norimberg. 1656 in 4. pag. 187.

d) Quod de *Guernero Rolfinkio* narrant, cujus tantus terror erat inter profanos, ut capitis damnati ne post mortem quidem in ejus manus lubenter venirent. — Haec solummodo capite damnatos incidendi rara occasio in causa erat, ut tamquam diem festum celebrarent illum anatomici, qui damnati cujusdam ultimus erat, et cunctos fautores artis ad spectaculum solenniter invitarent. Ipse *Hallerus* (Bibl. anat. T. II. p. 195.) nulla praeter sceleratorum hominum corpora aut infantes furtivo concubitu natos laboribus suis magna intentione obtinuit.

e) *Thom. Bartholinus*. De anatome practica ex cadaveribus morbosis adornanda. Hafniae 1674. 4.

f) *Guido de Cauliaco*. Anatom. cap. I. doctr. 1.

g) Ibidem.

h) Tredecim figuris totam anatomen demonstravit. *Haller* Bibl. anat. Tom. I. pag. 145.

i) Ars chirurgica. Venetiis 1546. fol. pag. 299.

k) Memoires pour servir a l'histoire des hommes illustres. Tom. V. pag. 137.

l) *Nicol. Held.* Beweis, dass die öffentl. Anatomie einem Staate nothwendig und in Rechten gegründet sei. Darmstadt. 1762. 4.
Schwedendorfer. Diss. qua anatomen jure divino et humano licitam ostenditur. Lips. 1663. 4.
Philipp. Adolph. Ulrich. Quaestio, an medicis corpora peremtorum ad anatomen concedenda? Lips. 1733. 4.
m) *Casp. Aselli Cremonensis*, anatomes Ticini Professor, lymphaticorum inventione clarus. De lactibus seu lacteis venis etc. Mediol. 1627. 4.
n) *J. P. Duvernoy* anatomen ex canibus publice docuit Tubingae ob cadaverum penuriam. *Haller* Bibl. anat. Tom. II. pag. 195. et *Daniel Horst* solenni programmate Marpurg. 1639, 4. auditores ad canis dissectionem magna pompa institutam invitavit; — quin imo obortum saeculo XVI. dubium de cordis situ (in sinistra an in media thoracis parte) ex porcelli anatome dijudicarunt, (*Conr. Vict. Schneider.* De corde. Witteberg. 1642. 12.). —
o) *Haller* Bibl. anatom. T. I. p. 710.

Caput quartum.

---

§. 23.

Anatome Aegyptiorum.

Fertilis scientiarum mater Aegyptus, prima quoque scientiae nostrae stamina irriguo fovebat sinu. In artibus reperiundis solers, et in cognitione rerum indaganda sagax a), armis invicta, pace potens, eruditionis vi cunctas anteibat gentes, — agros colere b), societatem hominum legibus firmare c), siderum errores coelique meatus observare d), Deos mysterioso cultu adorare e), denique medicinam tentare f), prima aggressa est, et doctrinae longo tempore partae semina, incultis adhuc Europae accolis communicavit. —

Medicina apud illos in templis nata sanctitatis jure potens, non ad vulgum damnata, sed a medicis Deorum mini-

stris secundum sacrorum librorum normam g), et legis antiquitus susceptae imperium exercita fuit. — Medicina tali pacto publica auctoritate instructa, magistratuum cura erat: »*Omnia, quae ad hanc artem facerent, constituere*« h), quae inter et anatomen spectare ecquis non intelligit? — Reges ipsos ad cognoscendos morbos anatomen instituisse, testis est *Plinius* i): »*In Aegypto reges corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecant*«, et *Barthius* k): »*Aegypti reges, quibus erat studium scrutari corpora mortuorum et causas valetudinum occulta fide recognoscere etc.*,« pauloque infra: »*Origo anatomiae a regibus ipsis oriunda est.*« — *Eusebius* l) narrat de rege *Alhosti*, quod libros anatomicos ipse conscripserit »*καὶ βίβλȣς ἀνατομικὰς συνέγραψεν;*« quod medicus simul et anatomicus fuerit, »(Ἀθωθις — — — ȣ̃ φέρονται βίβλοι ἀνατομικαὶ, ἰατρὸς γὰρ ἦν); — neque haec sunt unica anatomiae a regibus cultae exempla! m).

a) *Aul. Gellius.* Noct. attic. IX. 18. p. 160. b, edit. Aldin.

b) „*Primus aratra manu solerti fecit Osiris*
Et teneram ferro sollicitavit humum.“
Tibull. Eleg. VII.

c) Isis ex poëtae mente:

„*Prima dedit fruges alimentaque mitia terris*
Prima dedit leges“ — — — — — —

d) *Luciano* auctore (Diss. de Astrolog.) Aegyptii astrologiam ab Aethiopibus habuerunt.

e) *Juvenal.* Satyr. XV.:

— — — — — — — — „*crocodilon adorat*
Pars haec, illa pavet saturam serpentibus Ibin.“

et infra:

„*Porrum et cepe nefas violare ac frangere morsu,*
„*O sanctas gentes! quibus haec nascuntur in hortis*
„*Numina!* — — — — — — — — — —

f) „*Isin sanitati hominum multa pharmaca invenisse utpote quae scientiae medicae fuerit peritissima,*“ *Diodorus Siculus* habet. Apud *Barchusen* (op. cit. pag. 4. etc.) legitur: Isin remedia athanasia invenisse et filium suum Horum (quem alii Apollinem vocant) medendi artem edocuisse. Isidis et Serapidis

in medicina auctoritas tanta erat, ut seriori quoque aevo in casibus gravioribus in auxilium vocarentur, quod demonstrat Inscriptio apud *Tomasin.* XXXIV. de donariis:

ISIDI ET SERAP.
SACRUM
PRO EX VOTO
FILIOLI SALUTE
SUSCEPTA
SAURANA FECIT.

et illud *Tibulli* (Carm. I. Eleg. 3.):

„*Nunc Dea! nunc succurre mihi, nam posse mederi*
Picta docet templis multa tabella tuis."

Intelligit poëta sic dictas „*tabulas votivas*," de quibus illustris et venerandus Praeceptor *Franc. nob. de Hildenbrand* in Isagoge ad Annal. Schol. clin. med. Ticini 1826. 4. p. 3. habet: „*Curatione feliciter peracta tabulas votivas parietibus, vel columnis templorum adpendebant, quibus vel inscribebant morbi historiam, phaenomena et curationis modum, vel pictam exprimebant membri antea laborantis figuram, in gratae mentis tesseram.*" — Plura hac de re scire cupidus adeat supra laudatum opus, cedro dignum! — (*Barchusen*, Diss. I. de orig. et progressu medicinae, et *C. Fr. Hundertmark*, Liber singularis de incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum apud veteres in vias publ. et templa. Lips. 1749. 4.)

g) Κατὰ γράμματα, ut ait *Aristoteles* (Polit. III. 2. p. 467.), κατὰ ἔγγραφον νόμον secundum *Diodor. Sicul.* (Bibl. II. Tom. I. p. 74.): „*Si quis normam sacri libri sequutus aegrum curare nequiverit, omni caret crimine, si praeter ea, quae libris continentur illum curaverit, morte multatur.*" *Diod. Sicul.* lib. I. p. 2. c. 3.

Experientiam enim ex multis aegrotantibus sive in Deorum templis, sive ante januas expositis collatam, libris mandarunt, eamque in legis formam redegerunt, ita ut quisque medicus, aegrotantes suos secundum hujus literam curare obstrictus fuerit. — Credidit enim legislator ea medendi cura, quae plurimo tempore ab optimis medicis observata profectaque sit, haud facile meliorem reperiri posse. *Hartmann.* Op. cit. pag. 57.

h) *Hartmann.* l. c. pag. 55.

i) Hist. nat. lib. XIX. cap. 5.

k) *Hartmann.* l. c. pag. 56.

l) Pamph. de Athosti. edit. Scalig. p. 14. videas quoque *Petr. Gerike*, De antiquissimorum Aegyptiorum anatome fabulosa. Helm-

stad. 1735. in 4. et *J. Hein. Schönheider* Programma de Aegyptiorum Anatome. Hafn. 1772. fol.

m) Plura in historicis occurrunt exempla, reges aut principes, re medica vel administrationibus anatomicis valde delectatos fuisse, *Sabor* enim et *Ginges*, Medorum reges, *Sabiel* Arabum, *Salomon* Judaeorum (in cujus libris sparsae inveniuntur notitiae anatomicae), *Hermes* Aegyptiorum, *Mithridates* Persarum, *Mesues*, Damasceni regis nepos, et *Avicenna* (Abualjibn-Tsina) Cordubae princeps, *Dionysus Siculus*, *Achilles*, *Zoroaster* et *Josinas Scotus*, non tantum hujus artis studiosi fuerunt, verum etiam medicinam ipsam fecerunt aliis, uti ex *Coelio Rhodigino* patet (Lect. antiq. lib. 28. cap. 2.) et *Joh. Beverovicio* (Encomia Medicinae Roterod. 1665. 8. p. 40.). *Alexander Magnus* inter tot tantosque triumphos naturas animalium dignoscere concupivit, et *Marcus Antonius*, optimus Rom. imperator, ad amussim corporis sui conditionem intellexit. (*Joh. Guinth. Andernacus*. Instit. anat. Basil. 1536. 8. in praef.). Inter Romanos Consul *Flavius Boëthius* insigni fervore anatomen exercuit, Galeno magistro usus, (de quo ille in Administr. anat. libr. I. „*Tam enim anatomicae speculationis amore flagrabat quam mortalium, qui vixerunt unquam alius.*"). *Sergius* quoque *Paulus* diligenter interfuit Galeni sectionibus (ibidem); Thraciae rex *Numulicinthes* (Val. Max. lib. IX. de crudelitate. 4.) admodum volupe habuit vivos homines dissecare, *Nero* matricida factus est, ut videret locum, quem foetus inhabitaverat. — Inter recentiores Fridericus II. Germaniae, Fridericus III. Daniae rex, (*Th. Bartholinus*. Anatome publ. ultim. in Orat., XXXVI.) Carolus I. infelix Angliae princeps, et Petrus Russorum autocrator, anatomen dilexerunt, et ultimus adeo delectabatur *Ruyschii* laboribus, ut cadaver infantuli, rubra cera injecti, tanquam vivum adhuc exoscularet. (*Fontenelle*. Eloge de *M. Ruysch.*). — Cl. *Schulze*, praeter omnem veritatis finem asserit, reges illos, Aegyptiacos, non antiquissimos fuisse, sed ex familia Ptolemaeorum oriundos Lagidas esse, quos amplissimo favore res medicas auxisse, confirmatum habemus. (Hist. anat. pag. 401.).

§. 24.

Horum virorum quantum profecerit industria, ad nos quidem non pervenit, sed facilis conjectura est, non mediocrem fuisse eorum cognitionem anatomicam juvante frequen-

tissima cadavera humana aperiendi occasione, quam antiquissimus cadavera condiendi mos, quotidie obtulit a). — Ista cadaverum conditura ita peragebatur, ut partium saltem majorum notitiam necessario requireret, inter quas cerebrum, intestina et cor praecipue spectant. *Herodotus* b) enim ait: »*ante omnia*, *cerebrum incurvo ferro* (Vid. tab. I.) *per nares educunt*,« et *Gryphius* c) cerebrum per foramen magnum occipitis exemptum fuisse dicit, quae certe utraque encheiresis sine cognitione situs, conformationis et roboris ossium impossibilis est. — Dehinc acutissimo lapide Aethiopico circa ilia incidunt, atque omnem alvum extrahunt; — ventriculum sedulo inspiciunt, eumque utut difficulter condiendum abjiciunt, quod ideo factum esse vult *Plutarchus* d), quia ventriculum, tamquam causam omnium malorum, quae homo unquam patravit, agnoverunt, »ὡς αἰτίαν ἁπάντων ὧν ὁ ἄνθρωπος ἥμαρτεν,« — intestina autem condiunt atque ea super terram secum habent e). — De corde autem superstitiosam valde ideam habuerunt, credentes, quod quotannis duarum drachmarum pondere incresceret ad quinquagesimum usque, abhinc vero retro totidem drachmarum pondus omni anno amitteret, ita ut homo centum annorum, omnino e x c o r s, ulterius vitam ducere non posset f).

a) Neque hominum tantum cadavera, sed animalium quoque quorumdam, quae Deorum instar veneratione prosequebantur, balsamo condiebant, teste *Aeliano* (apud *Haller* Bibl. anat. pag. 5.)

b) l. c. lib. II.

c) Tractatus de Mumiis. Vratislav. pag. 45.

d) Orat. II. De esu carnium.

e) *Sextus Empiricus*. Pyrrhon. hypothes. l. 3. — Asiae populi (*Thom. Bartholinus*. Oratio de ventr. et intestinis, in ejus Orat. et dissert. varii argum. Hafn. 1668.) cadavera ad conditurum eviscerantes, intestina exempta non servant, sed in mare projiciunt, gulae delictum expiaturi, ac si omne malum per has vias corpori irreperet.

f) *Plinius* hist. nat. lib. XI. cap. 37. et *Censorinus* de die natali cap. V. ex Varrone allegat Dioscoridem astrologum scripsisse: „*Alexandriae inter eos*, *qui mortuos solent conservare*, *constare: hominem plus centum annis vivere non posse. Id cor huma-*

num declarare eorum, qui integri perierunt sine corporis tabe; ideo quod multis annis pependit cor hominis, incrementa aetatis et diminutiones conservent. Et anniculi pendere drachmas duas, bini quatuor et sic in annos singulos usque ad quinquagesimum accedere binas: ab his centum drachmis ab anno quinquagesimo item decedere in unoquoque binas. Ex quo perspicuum sit, centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci.“

§. 25.

Ista cadaverum pollinctura publice instituta fuit a singulari hominum genere, *Paraschistis* utpote sive prosectoribus a), quos summo odio habuerunt, uti apud nos quondam carnifices, tortores, carnarii aut supplicii capitalis exsequutores. — Hujus erat abdominis partem incidere, quae per legem determinata erat b), quo facto confestim aufugit, persequentibus adstantium exsecrationibus aut lapidum jactu; »*nam quicumque ejusdem naturae corpori, vim vulnusque, aut quoquo modo malum inferat, odio hunc dignum esse persuasum habent* c).« Taricheutes (pollinctor) dein cadaver exenteravit balsamoque condivit, quae tota ceremonia quadraginta dies, (secundum *Herodotum* autem septem dies) duravit d). — Cl. *Clerico* lubenter concedo per hanc encheiresin parum augmenti rei anatomicae successisse, sed quisque facile intelligit, eam sine lustratione et dissectione et practica quadam dexteritate fieri non potuisse e). —

a) Cuivis sectioni duos interfuisse, *Hallerus* (Bibl. anat. Tom. I. §. 5.) ex Lucretio affirmat, quorum alter abdomen, alter pectus dissecuit. *Kettner* autem (Historicum Schediasma de mumiis Aegypt. Lips. 1703. 8. pag. 25.), unum γραμματεα, alterum παρασχίςην fuisse refert, prior tantum descripsit plagam, quam insecuit.

b) *Schulze* lib. cit. pag. 402.

c) *Diodor. Siculus.* lib. 2. c. 5.

d) Hist. II. 86. p. 120. ed. *Gal.*, ubi modum condiendi describit: „*At hi relicti in aedibus hunc in modum diligentissime condiunt corpus. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quam partem educentes, ita locum medicamentis*

explentes; — dehinc acutissimo lapide aethiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem alvum protrahunt; quam ubi repurgarunt et vino palmeo eluerunt, rursus odoribus contusis proluunt, tum alvum complentes contusa myrrha pura et casia et aliis (excepto thure) odoribus iterum consuunt. Ubi haec fecere, saliunt nitro abditum septuaginta dies. Exactis septuaginta diebus, cadaver ubi abluerunt syndone bysina totum incisis loris involvunt, gummi illinentes, quo Aegyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto propingui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusumque ita reponunt." —

Huc spectant: *Christ. Herzog* Mumiographia medica. Gotha. 1717. 8.

Henr. Schulze De mumia. Altdorf. 1737. 4.

J. Jac. v. Doebeln et *J. Leche* De mumia Aegypt. Lond. 1739. 4. (os cribrosum tamen integrum invenit contra Herodoti assertum).

Steph. Chaurin. Lettre sur une momie de l'Egypte. Paris 1692. 4.

Fried. Hoffmann. De modo veterum balsamandi. Hall. 1695.

Andreas Rivinus. De pollinctura et balsamatione Lips. 1655. 4.

Thom. Greenhill Νεκροκηδεια. Lond. 1705. 4.

Engelbert Kämpfer. Amoenitates exoticae. Fasc. I. Lemgov. 1694. 4.

Anonym. Etwas über die Anatomie der Aegyptier, in *Isenflamm's* und *Rosenmüller's* Beiträgen. II. Bd. I. Heft.

e) Histoire de la médecine. Genève 1699. 4. pag. 298.: „*Mais comme il n'y a pas d'apparence que ceux qui travailloient à ces embaumemens, osassent satisfaire entierement leur curiosité, ni fouillier aussi avant qu'il auroit été necessaire dans le corps humains que l'on regardoit comme quelque chose de sacré; l'anatomie ne put pas être beaucoup avancée, pendant que l'on n'avait pas d'autres moyens que celui la.*"

§. 26.

Solennis quoque Aegyptiorum mos erat, sceleton hominis mensae conviviali imponere, ut inter epularum luxuriam fragilitatis humanae memores essent, et gulae vitiis tem-

perarent a). — Dissentiunt autem archaeologi de hujus sceleti natura; — alii pro exsiccatis et cohaerentibus hominis ossibus habent, uti *Galenus* b) ipse et *Guilielmus Xylander* c); *Plutarchus* d) vero ait, sceleton idem significare ac νεκρὸς, et meras statuas fuisse ad hominum per morbum contabescentium similitudinem fictas e). *Herodotus* f) haec sceleta vocat: »ξύλινας τύπας ἀνθρωποειδεῖς, vel παραδείγματα νεκρῶν ξυλίνα.« *Guil. Stuckius* g) quoque satis hujus vocis significationem illustrat dicens: »*Apud Aegyptios moris est, ut sceleton, hoc est, aridum jam et inveteratum sale cadaver convivio inferrent canentes:*

„*Ede! Bibe! post mortem talis futurus!*"

Pomponius Mela h) itidem et *Silius Italicus:*

— — — — „*Aegyptia tellus*
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, et a mensis exsanguem haud separat umbram."
Bell. Punic. II. lib. XIII. 474. 479.

Lucanus i) quoque cadavera muria servata circumlata fuisse dicit. Ex quibus acerrimus eruditionis Aegyptiacae calumniator *J. H. Schulze* k) concludit, nulla compaginata ossium systemata in Aegypto exstitisse, ut potius apertissime constet, nec Herodoto nec Plutarcho in mentem venisse, de sceletis, quae nostro aevo sic appellantur, cogitare; porro vocabulum sceleti novum est et post Alexandri tempora introductum l). —

Sed age! componatur rixa, quae tot virorum acriter animos agitavit auctoritate unius viri, summi certe in re ancipiti judicis, *Halleri* m) inquam, qui hosce Aegyptiorum sceletos veras fuisse ossium humanarum compositiones, ex eo demonstrare adnititur, quod inter Judaeos, hasce provincias incolentes, similes obtinuerint usus conviviales, et quod barbarae gentes omni cognitione anatomica destitutae, ex itineratorum fide dignissimorum relationibus (*Isbrand, Harriot, Lafiteau* etc.) amicorum et regum sceletos pararent et propriis pellibus indutos servarent. —

Valentissimum autem argumentum, quod veteres Aegyptii sceleta vera noverint conficere, illud est, quod in

mumia quadam similis effigies cupro confecta inventa fuerit n), easque in urnis, gemmis et marmoribus saepius sculptas viderint alii o).

a) *Plutarchus* in Conviv. VII. sap. et in tractat. de Iside et Osiride, ubi hoc sceleton vocat: εἴδωλον ἀνθρώπȣ τεθνηκοτος ἐν κιβωτίω περιφερομένȣ.

b) lib. de ossibus, cap. I.: „*Humani corporis ossium invicem cohaerentium universa compactio* σκελετος *appellatur; jamque nonnulli, qui de ossibus scripserunt, libros suos ad hunc modum inscripsere:* „περὶ σκελετȣ͂."

c) In vers. *Plutarchi* de septem sapientum convivio.

d) Ibidem.

e) Talem *Hippocrates* statuam aere confectam, ut exstaret aliquod monumentum aeternum et immutabile suae diligentiae laborisque, Apollini Delphico consecravit, ut autor est *Pausanias* (*Douglas* Bibliograph. anat. pag. 3.), quam attentius inspiciens Phayllus Phocensium dux, se similem factum somniavit, moxque macie contabescens somnii veritatem confirmavit. (*Th. Bartholin.* Orat. de ossibus p. 101.)

f) Lib. 2. pag. 6.

g) Antiq. conviv. pag. 344. Similem monitorem quoque Caesar Domitianus in stibadio habuit, cranium nempe mortui e tholo pendentis. (*Riol.* l. c. sect. 1.)

h) De situ orbis I. 9. p. 17.

i) περι πενθεος.

k) Op. cit.

l) *Goguet* (origine des lois) a Galeno hanc vocem primo pro nuda ossium compage sumptam ait.

m) Bibl. anat. §. 5. pag. 6.

n) Ibid. pag. 5.

o) *Lessing.* Wie die Alten den Tod gebildet, et *Haller* Bibl. anat. T. II. pag. 725. addenda ad tom I. pag. 6.

§. 27.

Notare quoque juvabit, non quidem in argumenti fidem pro nostrae scientiae antiquitate, sed raritatis causa, Aegyptios virginibus suis ante thorum nymphas detruncasse, teste *Galeno* et *Paulo Aegineta*, quae in magnam molem excrescere solitae conjugales impedirent amplexus. *Regnerus* de

Graaf a) ipsam clitoridem illis amputari credit, quae etiamsi simplex et periculi expers sit operatio, tamen aliquam harum partium cognitionem anatomicam supponit; quod gravem iterum *Schulzio* nostro stomachum movet clamanti: »*Si haec operatio de anatomica scientia magnum testimonium praebet, videndum erit, an non majori jure, in anatomicorum ordinem etiam immisci debeant pastores, hoedorum testiculos et agnorum caudas prompte amputantes, aut foeminae, quae pullos gallinaceos et anserinos castrare noverunt.*« b) Plura hac de materia invenies in clariss. *R. A. Vogel* c) opere de circumcisione.

a) De mulierum organis etc. in Opp. omn. Lugd. Batav. 1677. 8. p. 185.

b) Diss. cit.

c) De usu circumcisionis medico. Goetting. 1764. 8.

§. 28.

Multo gravius autem argumentum pro defendenda veterum Aegyptiorum peritia anatomica illud est, quod arterias in variis morbis pertundere ausi fuerunt a), id quod sine accurata notitia topographiae anatomicae nemo certe suscipiet, dum hodierno quoque aevo non desint exempla, etiam exercitatos et in anatomicis bene versatos chirurgos a similium operationum periculo timidos recedere. Fuit vero haec operatio (ἀρτηριότομη) Aegyptiis et Arabibus adeo propria, ut a nulla alia gente ullibi eandem priscis temporibus adornatam fuisse vel audiverimus vel legerimus b). Venaesectionem etiam a Nili accolis inventam esse *Cl. Stolle* defendit c).

a) *Goelicke.* Hist. Chir. p. 11.

b) Ibid. — *Joh. Jessenius a Jessen*, Pragensis quondam professor in Instit. chir. p. 29. arteriotomiae autorem facit *Galenum* in somnio quodam ad id faciendum monitum.

c) *Stephanus Byzanthinus.* (Lexic. geogr. artic. Syrna.) narrat *Podalirium*, Chironis filium, Troja reducem, ad Cariae litora tempestate appulsum, regis Damoethi filiam Syrnam graviter decumbentem incisa vena salvasse.

§. 29.

Sapienti sat, ut inde intelligat: »Anatomen Aegyptiis cultam fuisse,« quid in contrarium afferant doct. *Grunerus*, *Schulze* et *Barchusen*. — Procul absum, ut in horum virorum cineres mingam, quorum indefesso labori tot tantaque veteris aevi circa artis salutiferae originem et progressum eruta monumenta debemus, illud vero nunquam laudare sustinebo, quod rugosa fronte altoque supercilio, quidquid antiquitatem olet, ad futilia damnaverint et tunc temporis »nullam prorsus fuisse anatomen« temerario ore conclamassent. — Historici non est, partium studio aut sui amore aut praeconceptae opinionis imperio a veritatis semita facile averruncari. — Nobis quidem meliora edoctis non sufficerent veterum in hoc studii genere merita, sed tamen magna sunt, si in genere cum scientiarum statu antiquo conferas. — Ampliora facere, quae ab aliis accepimus, hoc viri est; non vero, utut manca, turpi onerare calumnia. — Tenue rerum initium est, — incrementum praeceps, — finis et perfectio sera! — — Hoc saltem Aegyptiis debemus, quod primi humanorum cadaverum consortium non timuissent, quibuscum per quadraginta post obitum dies commorari pietatis officium esse crediderint, et abacto mortis funerisque pavore, avida manu hominis interanea lustrari ausi fuerint, et quod variis corporis humani partibus nomina primi dederint, vindice *Rufo Ephesio* in libro *περὶ ὀνομασίας τῶν τȣ̃ ἀνθρώπȣ μορίων*; a quibus dein *Aristotelem* suam divisionem habuisse *Hartmannus* adfirmat. Nemo sanae mentis contendit, tunc temporis arte magna, (qualis nunc requiritur) corpora dissecta fuisse, ubi quaevis minuta hominis conscissio religioni habebatur. — Secundum illorum enim de *μετεμψυχωσι* philosophiam, »*animam per varia corpora transeuntem post septem millium annorum seriem, in corpus, quod primo inhabitaverat, redire*,« sanctissimum sibi habuerunt, corpora sua ab omni corruptione defendere, ne laceras cadaveris in pulverem difflati par-

ticulas colligere aut putredine consumptas carnes misere coadunare cogeretur a). — Nihilominus tamen reperiuntur inter mumias quaedam, quarum partes invicem consutae adparent manifesto indicio, interanea corporis tamen curiosioribus non inaccessa fuisse; — nihil enim adeo sanctum, quod non violaret sacrilega veri cupido. —

a) Secundum *Kircherum* et *Olearium* apud *Frid. Gottl. Kettner*, Historicum schediasma de mumiis Aegyptiorum. Lips. 8. pag. 25.

Caput quintum.

Anatome Graecorum rudis.

§. 30.

Aliquam artis anatomicae umbram veteribus Graecis fuisse, multa arguunt historiae monumenta. Ita Pausanias de Aristodemo refert Messenio, quod filiam suam virginitatis amissae ignominia affectam trucidaverit, et utero exciso, innocentiam ejus coram populo manifestaverit. En primum anatomiae forensis exemplum! — cui non absimile illud *Cydonis*, cujus filiam, oraculo et sorte jubente ad necem publicam destinatam, Lycastus fato amatam puellam erepturus, gravidam esse affirmavit; — attamen incidi jussit immanis parens, partibusque supra umbilicum patefactis vere praegnans alveo deprehensa est. — Ita apud *Stephanum Byzanthinum* narratur, Aristomenem Messenium ducem, a Lacedaemoniis captum, vivum ab ipsis dissectum fuisse, ut insolitae fortitudinis causam in internis ejus inquirerent; — et invenerunt »*cor hirsutum et viscus immutatum.*« — *Valerius Maximus* cor pilosum fuisse refert a). Ecce primum anatomiae pathologicae rudimentum! —

Orpheus in physiologicis peritus fuisse dicitur b) et

Musaei nonnulla prostant perantiqua de animalium historia monumenta c). —

a) De miraculis. lib. I. cap. 8.

De corde piloso vide *Morgagni* : De sedibus et causis morborum, Tom. I. Epist. XXIV. art. 4. — Lysandro simile cor erat sub Haliarti moenibus occiso, (*Pausanias* lib. 3. et lib. 9.). Hermogeni, etiam rhetoricae artis scriptori, apud *Coelium Rhodiginum* (lect. antiq. lib. 4. cap. 16.). — *Homerus* de corde piloso uti signo fortitudinis agit. — *Nonnus* (apud *Muretum*: Var. lect. lib. 12. cap. 10.) Sabinorum corda pilosa fuisse refert, hoc tamquam fortitudinis symbolo usus. *Muretus* (lib. cit.), *Benivenius* (de abditis morborum causis, c. 83.), *Amatus Lusitanus* (centur. 6. curat. med. 65.) in tribus latronibus scelere et audacia famosis simile invenerunt. — Scultetus juvenis cujusdam audacia eximii cor in theatro Patavino anno MDCL. dissecti, undequaque pilosum fuisse narrat (Trichiasis admirabilis), et *Lanzonus* (Ephem. nat. cur. dec. 3. ann. 5. observ. 122.) in plebejo a se inciso cor pilosum vidit. Omnis emunctae naris anatomicus, quid hodie sub simili metaphora intelligatur, abunde compertum habet.

b) *Aristoteles.* Generat. animal. Lib. II. cap. I.

c) *Hallerus.* Bibl. anat. Tom. I. §. 11. ea non genuina esse suspicatur. Collecta sunt in editione Parisina. 1566. fol.

§. 31.

Chiron, Saturni et Phillyrae filius, Argonautarum tempore vixit, et hic adduci omnino meretur, quia in chirurgia bene versatus, quae cum anatomia nostra perpetua necessitate jungitur. — Sunt, qui ipsum pro Cham, filio Noës habent a). — Ex centauris erat, ad Pelium montem habitavit, et semivir consuetim pingitur, ulcerum vulnerumque consolidatione, herbarumque notitia clarus b). — Herculis sagitta in pede vulneratus, ulcus mali moris inde contraxit, quare hodiedum ulcera maligna Chironia vocari consuescunt c). — Filii ejus *Machaon* et *Podalirius*, versus Trojam cum Graeciae principibus profecti, in rebus chirurgicis pariter multum claruerunt, cumque vulneratos in proeliis singulari industria curarent, tantum gloriae meritis suis apud Graecos

sibi compararunt, ut a conflictibus aliisque publicis gravaminibus immunes prae ceteris essent d). En! habes primos chirurgos castrenses e). — Troja armis capta et diruta, *Podalirius* tempestate Scyron, Cariae urbem, delatus, scholam ibi fundavit, ibidemque chirurgiam docuit, quae schola serius in tres: Rhodiam, Cnidiam, et Coam divisa fuit, e quibus toti deinde Graeciae, Asiae et ad Persidem usque medici provenerunt f). — Iisdem temporibus *Antolicum* et *Japidem* egregios chirurgos saepius laudatos legimus, pariter ac *Eriboten*, Teleontis filium g).

Aesculapius, Jovis nepos, Apollinis filius a Chirone educatus, divinis honoribus habitus, quod medicinam introduxerit h). — Tres hujus nominis viros fuisse Cicero asserit i). — In ejus honorem plurima per Graeciam fana exstructa fuerunt, quorum celeberrima Epidaurium, Coum et Triccense. Tanto cultu ubique celebratus fuit, ut Athenienses Atarben supplicio affecerint, ob necatum passerem Aesculapio sacrum k). — Tantus in chirurgia ideoque in anatomia quoque erat, ut Hippolytum (Tyndaridem secundum Plinium) equis dilaniatum ad vitam revocaverit, quo facto ipsius Creatoris invidiam sibi contraxit, qui

„*Ipse repertorem medicinae talis et artis*
„*Fulmine Phoebigenum Stygias detrusit ad undas.*"
Virgil. lib. VII. Aeneid.

Androgeonem quoque, Minois filium, Marathonio tauro disruptum vivis iterum restituit, ideoque ait *Serenus Sammonicus:*

„*Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas*
„*Nosti, atque in coelum manes revocare sepultos.*"

Propter tot tantasque hominum depositorum et conclamatorum curas Pluto apud Jovem conquestus fuit, quod suum imperium exinaniret — uti fabula narrat. —

Ab ejus successoribus Asclepiadarum nomine famosis et ab ipso generis autore in rebus medicis institutis, anatome primo in usum medicum exercita fuit, tanto fervore, ut narrante *Galeno* l) liberos suos a pueris hanc artem edocuerint,

quos deindo πεπαιδευμενας vocarunt. *Schulze* tamen dubitat, num humana cadavera unquam ab illis dissecta fuerint m). — Ceterum *Aesculapius* specillum invenit, et dentes primus evulsit n). —

a) *Portal.* op. cit. Tom. I. pag. 5.
b) Herba centaurei ab ipso nomen mutuata est.
c) *Galenus* lib. 6. De compos. medic. et *Paulus Aegineta* lib. 4. cap. 46.
d) *Diodor. Siculus.* Bibl. hist. lib. 4.
e) *Homerus* habet de illis: „*Hos autem nec in pestilentia nec variis aliis morborum generibus quidquam auxilii hominibus attulisse, sed vulneribus duntaxat, ferro, et medicamentis mederi solitos fuisse.*" Pronum autem est, eum, qui ferro sanationem adgredi audet, in anatomicis non male versatum esse debere, ut tantam laudem sibi inde pararet.
f) *Doring.* De medicina et medicis Lib. II. Giessae 1611. 4. p. 41.
g) *Virg.* Aeneid. lib. 12. et *Apollonius* lib. Argonaut. 2.
h) „*Perfectam medicinam et omnibus numeris absolutam, divinam ajo! Aesculapius solus invenit.*" *Galen.* In Introd. lib. I. *Grunerus* tamen lib. cit. pag. 63. affirmat, omnem *Aesculapii* medicinam vulnerariam fuisse.
i) De natura Deorum lib. 3.
k) *Grunerus.* Lib. cit. pag. 80.
l) De administr. anat. lib. II. cap. 1.
m) Lib. cit. pag. 416.
n) Sola tamen manu sine ullius instrumenti auxilio. (*Aristoteles* quaest. mechanicae. cap. 21.).

§. 32.

Philosophi Graeci.

Omnis philosophia a rerum naturalium contemplatione exordium sumat. Doctrina enim sine experientia mendax, experientia sine doctrina fallax! — quare mendaces fiunt, qui sine experientia docent, — fallaces, qui sine doctrina experiuntur.

Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu! — et si philosophiae argumentum in eo consistat »rerum causas intelligere,« earum proprietates, et qualitates tum externas manifestas tum internas latentes prius discriminet

necesse est. — Veteris aevi scholae hanc viam sequebantur, quam moderni naturae philosophi (vel aptius poëtae) prorsus inverterunt. Aptum illis videbatur, a corporum terrestrium contemplatione speciali ad rationes simplices, et inde ad ideas universales ascendere, — his commodius est, ex conceptibus summe generalibus et principiis ad sectae cujusdam lubitum positis, ad singularium dispositionem descendere, — ideoque sibi non dissimiles ambo. — Videamus nunc, quantum priores in rebus anatomicis profecerint, quae illis valde populares fuerunt, postquam ex barbarie emerserunt.

Pythagoras Samius, stupendae eruditionis vir, physiologica multa, pauca anatomica nobis reliquit, — medicinae enim indulsit quidem a), animalibus autem abstinuit b), ne crudelitatis consuetudo fiat, ubi in voluptatem adducta esset laceratio, uti ait *Lucianus* c): »*Nihil animati edo, reliqua vero omnia praeter fabas.*« Discendi studium ad Indos et Aegyptios ipsum compulsit, quorum consortio sua in rebus literariis primordia debet, et in patriam redux propriae cujusdam scholae auctor erat. — Licet physiologiae inventionem ipsi cum *Portalio* d) tribuere dubitarem, ejus tamen multifarios praecipue circa animalium generationem labores non despicio, qui, uti ait *Hallerus* e): »*minime contemnendam peritiam satis indicant.*« — Animalia omnia ex semine f) oriri, — semen ex cerebro destillare, — non dari generationem aequivocam, — embryonis evolutionem inter quadraginta dies absolvi, — in cerebro animam residere, — ex sanguine entia nutriri, — animam per arterias diffundi g), — praecipua ejus dogmata fuerunt. — Naturae studium, cui totus vixit, in discipulos ejus transibat, de quibus certo constat: »quod exsectionem seu anatomen aggredi ausi »fuerint h). Inter plures eminet *Alcmaeon* Crotoniensis, qui librum de rebus anatomicis conscripsit i), et secundum *Portalii* k) testimonium, animalia primus inter consortes incidere suscepit. *Calcidius* etiam ipsi anatomiae inventum tribuit l). — Capras per aures respirare credidit m), quod mihi ad tubam Eustachianam pertinere videtur, cujus situs et ne-

xus cum auro et pharynge verosimiliter ipsi innotuit n). Adtractos naribus odores ad cerebrum pervenire, suspicionem mihi movet, laminam perforatam ossis ethmoidalis, ipsi non ignotam fuisse o). Sedem animae in cerebro statuit p) — semen ex utroque parente venire q), — primam hominis partem caput formari r), — foetum per totum corpus ali, et undiquaque per cutem alimentum trahere s), — somnum fieri a sanguine in confluentes venas recepto, — vigiliam a diffuso t) etc. credidit.

Hippon Metapontinus ab *Alcmaeone* eo differt, quod sexaginta dies ad embryonis evolutionem requiri u), et semen a solo patre venire v) docuerit. —

a) *Aelianus*, var. lect. IX. cap. 22.
b) *Seneca*, Epist. ad Lucilium 108.
c) Auct. vit.
d) Hist. anat. Tom. I. pag. 19.
e) Bibl. anat. Tom. I. §. 11.
f) *Hippocrates* serius e medulla in testes defluere affirmavit, unde φθισις νωθιας originem habet.
g) Pneuma *Hippocratis*, qui itidem cum *Pythagora* arterias „*venas salientes*“ vocavit. Omnia cava veteribus venae erant, aorta, vasa aërea, fistulae et nervi, secundum *Ruf. Ephesium* de part. corp. hum. I. —
h) *Schulz*, Hist. med. pag. 202.
i) *Haller*, op. cit. tom. I. §. 12. temporis injuria ad nos non venit.
k) Hist. anat. Tom. I. pag. 21.
l) Comment. in Timaeum Platonis.
m) *Plinius*, lib. XXIII. cap. 2.
n) *Schulze*, lib. cit. pag. 173.: „*Alcmaeonis inventum est transitus auditus, qui apud recentiores tuba Eustachii vocatur.*
o) *Plutarchus* Placit. lib. IV. cap. 17.
p) Ibid.
q) *Censorinus*, op. cit. cap. 5.
r) *Plutarchus*, lib. cit. lib. V. cap. 17.
s) *Plut.* lib. IV. cap. 16.
t) Ibid. cap. 24.
u) *Censorinus*, op. cit. cap. 9.
v) Ibid. cap. V.

§. 33.

Empedocles. — Anaxagoras.

Empedocles, Agrigentinus, poëta, philosophus, anatomicus aeque versatus, Pythagorae discipulus, 500 annos ante Christum vixit. — Primus fuisse videtur, cui quaedam de auris structura interna nota fuerunt. Docuit enim, auditum fieri a spiritu in os cochleae simile perculso, quod in internis auris penetralibus tintinnabuli ad instar suspenditur a).— Amnii et chorii nomen introduxit b), — ungues a nervis fieri c), — foetum per umbilicum ali d), — et plurima alia physiologica e), quae hujus loci non sunt, statuit. — Centum novem annos natus in Aetnae cratera sese praecipitem dedit. *Anaxagoras*, astronomus et anatomicus simul, cameras cerebri ante *Galenum* novit; — cum enim apud Athenienses aries natus fuisset unico tantum cornu instructus, et isti tamquam portentum haberent, ille rei insolitae naturam indagaturus animal dissecuit, et unum tantum cerebri ventriculum invenit f). — In partium genitalium anatome minus versatus, mustelam per os foetum excludere, corvosque per os gravidas fieri, superstitiose credidit g). — In generationis processu *Homoiomeriam* induxit, talem nempe hypothesim, quod carnes ex carnibus, nervi ex nervis fiant etc. —

a) *Plutarchus* apud *Haller.* op. cit. Tom. I. §. 13.
b) Pollux. Rufus. apud *Hall.* ibid.
c) *Aristoteles*, de spirit.
d) *Censorinus*, op. cit. cap. 6.
e) *Haller.* Bibl. anat. Tom. I. §. 13.
f) *Plutarchus* in Pericle.
g) *Aristoteles*, generat. animal. lib. III. c. 6.

§. 34.

Democritus.

Scientiarum semina ab aliis accepta, hujus viri laboribus veritatis studio impensis, in uberrimam effloruerunt mes-

sem, quod de philosophia naturali quam maxime dicam, cujus partem efficit anatome. — Dudum post Aegyptios et Sinenses immensam antiquitatem jactantes, ex barbarie emerserunt Graeci, sed adeo celeri passu in scientiarum curriculo profecerunt, ut mox ipsos praeceptores longe anteiverint.— *Democritum*, Mileto oriundum, Pythagorae discipulum, insigni studio rebus anatomicis deditum fuisse, Aristoteles auctor est, eumque in illis, quae animalium partes attinent, ipso Platone majorem censet. Inter animalium sectiones experimentaque mortuorum, aetatem consumsit summus ille vir, cujus scripta ad nos non pervenerunt a). — Acerrimus *Schulze* illum (quod anatomen spectat) Hippocrati, si non majorem, saltem aequalem censet b), et *Celsus* c) affirmat, suam anatomen ex Democrito hausisse Hippocratem. Ab Abderitis, quibus interfuit, ideo pro vesano habitus, utpote quibus omnis amatome valde perosa, ita ut ei intra urbis pomoeria vivere vetuerint. — Quod anatomen exercuerit, ideo quidem nobis non vesanus fuisse videtur, tamen ab hujus suspicione omnino liberum haberi dubitarem, ad physiologica ejus placita animum convertens; — sed absit invidia dicto! — temporis enim, non philosophi haec menda est! —

Plinius d) narrat, eum Chamaeleontem, per singula membra descriptum, peculiari volumine dignum habuisse. — Hippocratis librum περι ἀρχων, (in quo multa anatomica continentur) ipsi adjudicat *Hermannus Conring*, et *Ammianus Marcellinus* e) eum cadavera humana in usum medicum primo incidisse, ait. — Feminarum oculos inspiciens, an virgines sint nec ne, prompte dignoscere potuit.

Heraclitus et *Epicharmas*, ejus symmystae, in rebus physiologicis aeque inclaruerunt pro aevi hujus more f).

a) Eum de hominis natura librum conscripsisse (περὶ φύσεως ἀνθρώπου), (περὶ ζώων), Diogenes Laërtius in vita ejus meminit. Est etiam in libris Hippocraticis spuriis, unus de natura hominis, cujus autorem faciunt *Democritum*. *Tobias Tendler* latio donatum edidit Witteb. 1609. 4.

b) *Schulze*, lib. cit. pag. 62.
c) Praefat. ad med.
d) Hist. nat. lib. 28. cap. 8.
e) Hist. lib. 28.
f) *Haller*. op. cit. T. I. §. 14.
Plura de Democrito invenies in *Portalii* Hist. anat. T. I. et *Daniel Vink*, Amoenitates philologico-medicae. Traject. 1730. 8.
Georg Seger. De Hippocratis orthodoxia etc. accedunt binae dissertationes, altera Democriti heterodoxia in doctrina foetus in utero, altera de cotyledonibus uteri. Basil. 1660. 4.
Soranus, In vita Hippocratis. T. II. pag. 951.

§. 35.

Plato.

Philosophiae veteris decus *Plato*, in anatomicis minus versatus erat. Nisi multum fallor, cardo rei hic esse videtur, quod ethicam magis quam physicam tractaverit, et plurimi philosophorum tunc temporis degentium, anatomen infra suam dignitatem habentes, rebus *μετα τα φυσικα* sitis animum ingeniumque adverterint. Similem inter speculationem altius tendentem et experientiam antagonismum, in rebus medicis ubique obvium, per varia ejusdem fata animadvertimus, nec nostris exulat temporibus, ut qui multi existant naturae philosophi, grandi ingenio naturam ipsam superantes, et qui ab omni severa rerum, uti sunt, indagine alieni, eas ad sua vota disponunt, separant, uniuntque, curiosa venantur, utiliaque spernunt, et hyperbolicae speculationis monstra in solidae scientiae noxam, nescio qua feracitate excludunt; — alii vero inter experimenta tardo passu proficiunt, et praevia nasciturae quondam veritatis, indefatigabili opera, fundamenta sternunt.

Theoriam medicinae et physiologiae novis hypothesibus auxit *Plato*, ut verum videatur divi *Halleri* effatum: »*Multum dedit conjecturis Plato, ut satis credas medicinae nocuisse.*«

Inter crassos ejus errores anatomicos, sequentes emi-

nent: — semen a capite per spinam dorsi in testes descendit a), pulsant venae b) — nutrimentorum pars in pulmonem venit, aër in ventrem c) — uterus conceptionis cupidus et frustratus tamquam animal per corpus oberrat d). Ejusdem de urinis sententiam claudam jam dudum *Erasistratus* explosit e).

a) *Haller*. Op. cit. §. 22.
b) ibidem.
c) *Euripidis* haec et *Hippocratis* sententia est.
d) *Hall.* loc. cit.
e) *Barchusen*, op. cit. pag. 62., vide *Jan. Bircherodius* junior. Schediasma in Timaeum Platonis. Altdorf. 1683. 4. et *Platonis* Op. omn. ex traductione *Marsilii Ticini*. Venet. 1571. fol.

§. 36.

Aristoteles.

Aristotelis in anatomicis peritiam non multum laudat *Galenus* dicens a): »*Mirum non est, si etiam in aliis multis (quod anatomen spectat) Aristoteles erraverit, qui triplicem sinum cor habere, in magnis animalibus existimat;*« — insigni vero encomio extollit *Hartmann* b), qui ipsum *Galeno* longe versatiorem fuisse contendit, simili *Cesaris Cremonii* c) suffragio fultus. — Memorabilia hujus viri, quatenus nostro scopo secundant, hisce comprehendimus.

Hominum cadavera vel nunquam vel, nonnisi infantilia dissecuisse mihi videtur, etiamsi Cl. *Schulze* d) et *Stolle* e) illud callide eum celasse affirment, ne coaetaneorum invidiam et odium sibi colligat; — ipse enim fatetur f): »*Partes internas corporis humani ignotas esse, ac proinde de illis non aliter judicandum, quam ex analogia vel similitudine, quam cum aliorum animalium partibus habent;*« — et alio loco g): »*hominis renes bubulis similes esse, quippe qui tamquam compositi ex multis renibus exiguis constent;*« — unusquisque autem nostrum scit, renes hominis adulti ab hac descriptione quam maxime alienos esse, — intelligit enim renes lobatos, quales nonnisi in foetubus, aut infantibus recenter in lucem editis occurrunt. Inde tot errores explicantur, quibus

anatomia ejus scatet h); cerebrum enim viscus exsangue, iners, frigidumque vocavit, quod ceteris corporis humani partibus nec accenseri possit, cum nonnisi refrigerando cordi utile sit i). — Cor vero, calidum organon, nervorum originem sistit k), — cerebrum non habere venas l), — tres meatus ab oculis in cerebrum ducere m), — lienem cum hepate plerumque locum mutasse n), — viris tres cranii suturas esse, foeminis unam, — thoracis corbem in utroque latere tribus componi costis, — occiput vacuum esse etc., quorum plura invenies in saepius jam laudato *Halleri* de hist. anat. opere; — — sed satis vituperii! — aliquid laudis addamus! — Aortae nomen ab *Aristotele* inventum est o) ἀπο τȣ ἀερα τερεῖν, vasa funiculi umbilicalis bene cognovit, et primus immediatum arteriarum in venas transitum affirmavit p): »*Venae cuilibet sua arteria est adjuncta, quod autem venae et arteriae inter se committantur, sensu ipso manifestum est.*« — Foetus in utero situm optime describit q), tubae Eustachianae fabricam recte cognovit r), uti etiam arteriae renalis, venae cognominis, et epiglottidis, — quae omnia in animalibus observata, ad hominis interiora quoque transtulit. — Illud tamen nomini hujus viri maculam inurit nullo tempore delendam, quod plagii criminis reus, plures antecessorum in venarum historia penitus exceperit, uti Synnensem medicum Cyprium, et Diogenem Apolloniatam, secundum *Barchusenii* s) censuram.

a) Administr. anat. lib. VII.
b) op. cit. pag. 68.
c) Apologia dictorum Aristotelis. De origine et principatu membrorum. Venet. 1627. 4.
d) Hist. anat.
e) Op. cit. pag. 391.
f) Hist. animal. lib. I. cap. 16.
g) ibid. lib. III. cap. 3.
h) *Andreas Westphal.* De Aristotelis anatomia. Greifswalde. 1745. 4.
i) De part. animal. lib. II. cap. 7.
Casp. Hoffmann. De usu cerebri secundum Aristotelem. Lips. 1618. — Noli mirari absurdam in veteri philosopho ideam! — non

desunt enim inter recentiores quoque, qui viliorem adhuc de cerebro, nobilissima totius machinae parte, sententiam statuunt, uti *Andreas Laurentius* (*Du Laurens*), Histor. anatom. Francof. 1615. 8. pag. 905: „*Sed et quum caminus sit cerebrum universi corporis, et cucurbitulae instar insideat trunco corporis, sorbens trahensque ab infernis expirationes omnis generis, non est dubium, quin vaporibus oppletum, et assiduis eorum haustibus velut inebriatum, supervacua multa in se contineat, adeo ut et per se, quia frigidum humidumque, et ex eventu ratione situs editissimi excrementis abundet.*"

k) *Joh. Riolanus.* Op. omn. praef. pag. 3. Fibras tendineas enim valvularum nervorum initia esse credidit.

l) *Casp. Hoffmann.* De venarum origine secundum Aristotelem. Lips. 1615. 4.

m) *Haller.* Bibl. anat. T. I. §. 23.

n) ibidem. Equidem lubenter crederem Aristotelem his verbis indicare illam viscerum metathesin, quae nostris temporibus pluries observata, a me ipso semel in cadavere virili visa fuit.

o) *Galenus.* De venarum arteriarumque dissectione.

p) De part. animal. lib. 3. cap. 4.

q) „*Figuram quod attinet* (*in utero*), *quadrupeda omnia extensa, apoda obliqua, bipoda in se curvata, conglobatave uti aves. Et homo est conglobatus, et nares quidem inter genua, oculi vero genibus imminentes, crura vero exserta habet.*" —

r) *Haller.* lib. cit.

s) lib. cit. p. 127. et *Hieronymus Mercurialis* eum omnia ad anatomen spectantia ex aliorum relationibus tradidisse ait. (*Douglas* l. c. p. 10).

§. 37.

Inter maxima tamen ejus merita spectat, quod primas lineas zootomiae a *Democrito* structas, magis excoluisset, — imo naturae animatae contemplationi totum se dederit a). Etiamsi enim ex his, quae hucusque tractavimus, certo constet, animalium corpora sedulo, eaque longe antequam humana, incisa fuisse; hunc virum tamen primum fuisse contendere audeo, qui hanc feracissimam anatomiae provinciam philosophico oculo penetraverit, uti ipse ait b): »*Viliorum*

animalium inspectionem spernere indignum est philosopho, cum nulla res sit naturae, cui non insit aliquid admirabile, quare si quis ceterorum animalium contemplationem ignobilem abjectamque putet, idem de suo corpore sentiat necesse est« c).

Scripsit anatomicorum libros octo et selectorum anatomicorum librum unum, adjectis iconibus d), quorum jacturam aequo animo tolerari posse, ut erroribus undique refertorum, *Olaus Borrichius* e) monet: »*Tolerabilis reliquorum librorum jactura est, si enim compendii peccata numerari vix possunt, illa operis totius, modo exstaret, essent fortasse innumerabilia.*«

Ut suas Historias animalium (opus hujus generis primum) ederet, ab Alexandro, discipulo regio, octingenta talentorum donum accepisse fama est f); — ingens auri pondus! — et incredibile ideo, quod nostris quoque diebus existant magnanimi proceres, Alexandro utique conferendi, quorum menti nunquam et nullibi bonum numen inspiraverit, simile bonarum artium adjumentum!! — Hujus stupendi operis summa perfectio *Aristotelem* inter historiae naturalis fundatores et antesignanos aeternae memoriae retulit, et hodiernis quoque diebus, a rerum naturalium peritis, summo cultu, ne dicam veneratione, habetur. Minutus operis syllabus in *Halleri* Bibliotheca cupienti reperiundus prostat.

Inter scholae ejus asseclas et successores, albo lapillo notari merentur: *Callisthenes Olynthius*, *Aristotelis* nepos, in medicis aeque ac anatomicis versatus, qui secundum *Chalcidii* comment. in Timaeum, oculi fabricam bene descripsisse fertur. *Strabo* Peripatheticus g), *Diocles* Carystius h), *Praxagoras* i) et *Plistonicus* k), cujus ultimi non honorificam mentionem facit *Galenus* l) — *Philotimus* m), *Aegimius Veliensis* n), *Chrysippus Gnidius* o) et *Dionysius* p), Oxymachi filius, anatomici serius degentes non multum praeter nomina nobis reliquerunt.

a) *Herm. Conring.* Introductio in artem med. pag. 148. ait: „*ani-*

malium rem omnem, nemo etiam illo (Aristotele) vel fusius vel etiam accuratius prosequutus fuit."

b) De part. animal. lib. I. cap. 5.

c) Attamen nonnulli philosophi, corpus humanum — εὐπρέπεστατον τεχνήμα τȣ̃ Θεȣ̃! — ex fortuito atomorum concursu ortum fuisse docentes (Epicurus), neque fini suo commode fabrefactum esse contendunt, de quibus salse loquitur *Galenus* (lib. III. cap. 10. de usu part.): „*Stolidum enim et amentem illum judicavit, qui naturam in partibus faecum excretioni dicatis accusabat: quod e lecto surgere alvi exonerandae gratia molestum esset; satis enim et optabilius fuisse, hominem ita componi, si solum pedem porrigens, excrementa per ipsum (pedem) excerneret.*"

d) Ex pluribus enim aliorum librorum locis intelligitur, ubi saepius reperiuntur τὰ παραδείγματα, διαγραφη, σχηματα etc.

e) De Hermetis Aegyptiorum et Chemicorum sapientia. Hafniae 1674. 4. pag. 278.

f) *Athenaeus.* Deipnosophist. lib. IX. et
Plinius. Hist. nat. lib. VIII. cap. 16.
Plutarchus, in vita Alexandri, narrat, Aristotelem prae ceteris inflammasse Alexandri animum rei medicae amore, ita quidem, ut ipse saepius amicis suis medicinam faceret, et medicorum autoritatem magni haberet, imo aliquot millia hominum, venatorum, aucupum, piscatorum, armentariorumque, Aristotelis ad usum disponeret. Regia revera liberalitas! —

g) *Censorinus.* lib. cit. cap. 7. Vitalem foetum ad decimum usque mensem admisit.

h) Primus de administrationibus anatomicis scripsit, secundum *Galenum* (Administr. anat. lib. II. cap. I.), neque tamen multum laudis ipsi confert (De dissect. vulvae, cap. 9.).

i) Nicarchi filius Asclepiades, magister Herophili erat, venae, quae „a jecinore ad renes" pergit, cavae nomen primus dedit, ibidemque febrium causam quaesivit. (*Ruf. Ephesius.* Appellat. corp. h. p. I. c. 33.)

k) Praxagorae discipulus cerebrum pro inutili appendice medullae spinalis declaravit. (*Galen.* de utilit. partium lib. IX. cap. 3., lib. VIII. cap. 12.).

l) De dissect. vulvae. cap. 9.

m) Tubas Fallopianas detexit, easque sinus vocavit. (*Galen.* ibid. cap. 3.)

n) Primus de pulsu obscure loquitur, tamquam halitu arteriarum. (*Galen.* diff. puls. lib. IV. cap. 2.)

o) *Erasistrati* praeceptor, famosi anatomici! —
p) *Ruf. Ephesius.* Appellat. I. p. 42. —

Medici graeci.

§. 38.

Hippocrates.

Aristoteli annis et auctoritate medica major, e familia Asclepiadum oriundus, ad Herculem usque generis originem ducens, fertilis ingenii, stupendae eruditionis, ingeniique subacti vir, cujus secundum *Heurnium* a) »*tanta fuit benignitas, nihil ut sciverit, quod nos nescire voluerit, — tanta autem solertia et sapientia, ut quod ipse ignoraverit, post ipsum sciverit nullus.*« Medicinam, quae a Pythagorae temporibus pars philosophiae habebatur, ab illa primus revocavit, et longi aevi experientia in unum collecta, κλινικην sic dictam instituit b).

Hippocratem alii nimiis laudibus extulerunt c), alii justo severiori judicio castigarunt d). *Archangelus Picollomini* e) ait: »*Hippocrates anatomen invenit, Aristoteles amplificavit, Galenus perfecit;*« et *Ant. Poncio Santa Cruz* f): »*Anatomes peritia, ut aliae artis partes, ab Hippocrate incepit.*« —

a) Oratio de medicinae origine.
b) Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templis, quid illis auxilium tulerit, ut postea ea similitudo proficeret, ea exscripsisse dicitur *Hippocrates*, atque cremato serius templo, instituisse medicinam hanc, quae clinica vocatur.
c) *Van der Linden.* De Hippocratis studio anatomes singulari. Witteberg. 1754. 4.
Galenus (De anatomia Hippocratis) eum anatomes restauratorem vocat.
Joh. Langius. Epist. med. lib. I. Epist. 3. pag. 15.
Jac. Sponius. In praefat. comment. in Aphorismos.
Moebius. Fundament. medic. phys. pag. 10.
Almeloveen. Inventa nov. antiqua pag. 218.
Boërhave. Praelect. academ. Vol. I. pag. 24.
Haller. Opusc. anat. V. pag. 135.
Theoph. Protospatarius. De fabrica corp. hum. V.

d) *Fallopius*, apud *van der Linden*, in phys. med. cap. 7. art. 2. pag. 306.
Herrm. Conring. Introd. in univers. art. med. cap. IV. §. 9. p. 147.
Pitcarne. Opusc. med. pag. 91.
Heucherus. Hist. anat. §. 14.
St. Blancard. Praef. anat. reform. etc.
e) Praelect. anat. Romae 1586. fol. in praefat.
f) Comment. in Hippocratis librum. De morbo sacro. text. 33.

§. 39.

Corpora humana ab Hippocrate non dissecta fuisse Clariss. *Stolle* a) affirmat et *Schulze* b); *Goelicke* c) Hippocratis autoritatem in rebus anatomicis adeo pensi habet, ut ipsum hepatis situm ignorasse severe affirmet, dicens: »*Quid quod ipse plane hepatis situm ignoraverit, cum in libro de arte, jecur in thorace situm esse affirmet*;« — haec vero tantum absunt, ut Divi Senis nomen polluant, ut potius in iniqui judicis claudam Hellenismum redundent; Aristotelis enim et *Ruffi Ephesii* dictione confirmatur, verbum Thorax de ventris quoque cavitate adhibitum fuisse; ita enim apud Aristotelem occurrit: *μετὰ τον θώρακα γαστης*, i. e. retro abdomen.

Anatomen praeterea non coluisse Doct. *Lassus* defendit, et si qua ei adjudicentur de re anatomica merita, haec potius ad illos spectare, qui librorum Hippocratis spuriorum auctores fuerunt; in genuinis enim, quos tamquam tales literatus orbis agnoscit, nullum anatomiae rudimentum invenitur d). *Grunerus* e) ait pariter, quod Hippocrates in rebus anatomicis cruditatis multum, veritatis parum nobis dederit. — Nolo cum hisce viris altercari, quorum molliter ossa cubent! — sed sub *Trilleri* f) mei aegidem tutus refugio, eruditissimi anatomiae Hippocraticae defensoris, cujus argumenta, omnis dubitationis vim nervosissime prosternunt, quod etiam de Cl. *Traugott Balthasar Christian Stenzel*, et *Ant. Germ. de Albertiz* g) operibus classicis dictum esse volo. — Infirmum non minus argumentum est, quod nonnulli inde derivant, quod *Hippocrates* a sectione calculi abhorruerit, discipulosque suos jurejurando obstrinxerit h): »Neminem ex

calculo laborantem secare;« hoc enim non ob imperitiam anatomicam, sed ea propter factum fuisse credo, quod tunc temporis haec praxis nonnisi a certis quibusdam hominibus exercita fuerit i) (λιθοτομοις), qui victum inde habuerunt. Fuerunt enim homines, qui lithotomiae totos se dederunt, non immiscentes se ulli alteri parti medicinae k), quod hodie chirurgis adeo vulgare est.

a) Lib. cit. pag. 392.
b) Lib. cit. pag. 423.
c) Hist. med. pag. 526.
d) Lib. cit. pag. 3.
e) Op. cit.
f) De Hippocratis studio anatom. singulari. Witteb. 1754.
g) Prodromus recensionis criticae hist. med. Vindob. 1765. 8.
Alb. Haller. Programma quod Hippocrates corpora hum. secuerit. Goetting. 1737.
h) Jusjurandum *Hippocratis*: ὀ τεμέω ὀδὲ μὴν λιθιῶντας ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε.
i) *Jac. Douglas*. Historia sect. lat. Lugd. Bat. 1729. 4. pag. 7.
k) Ibidem.

§. 40.

Brevis anatomiae Hippocraticae summa exhibenda modo, certo certius demonstret, Coum senem nomine Restauratoris anatomes, quod severus *Galenus* ipsi dedit, non indignum fuisse. Ante illius enim tempora non explorata erat anatomica cognitio, nulla exstabant ea de re veterum scripta; — ipse ille divino spiritu afflatus, et sua fretus megalopsychia, plurima, quae ad artem anatomicam spectant, publicis consignavit monumentis, quae licet huc illucve sparsa reperiuntur, ex iis tamen simul sumptis integrum anatomiae corpus condi et erigi poterit a). Ita de ossibus egregia multa habet in libro de fracturis et articulis, spinam vertebralem eleganter descripsit, ejusque curvaturas primus adumbravit b). Mammas muliebres et renes inter glandulas retulit c), amygdalas quoque, articulorum glandulas d), lymphaticasque habet, organon auditus e) externum, membranam tympani f), ossicula

auditoria (quae lapillos vocat), pericardium g), ejusque humorem, ventriculorum inaequalem capacitatem, auriculas, systolem et diastolem, valvulas etc. exacte descripsit, ut nemo alius h), ita quidem ut de libri hujus origine genuina dubitent censores, quem tamen *Georgius Segerus* inter legitimos retulit i). — Venarum omnium situm, quae in morbis solent pertundi, bene novit, venam utpote frontalem (in capitis dolore secandam), linguae (in angina), aurium (in doloroso Scytharum morbo), jugularem, humerariam, basilicam, (in pleuritide), poplitaeam in lumborum, testium, renumque dolore, venam cavam ascendentem k), et descendentem ex priorum confluxu ortam l). Venas in hepate radicari (ἧπαρ ῥίζωσις φλεβῶν), arterias autem in corde (ῥίζωσις ἀρτηρίων καρδία), spiritum per arterias diffundi credidit, quibus ideo tracheam quoque adnumeravit, quae apud nos quoque antiquo more arteria et quidem ad distinctionem aspera vocatur. — Vesiculas seminales m), oculi partes, tunicas, venasque n), nervum vagum, intercostalem o), venam tibiae nutrientem p), portarum q), membranas foetum continentes r), funiculum umbilicalem s), evolutionem ovi gallinacei t), sinus uterinos u), viscerum principalia v), omenta et mesenterium x), satis bene intellexit, cerebrum utcumque y); — sunt, qui ipsam sanguinis circulationem Hippocrati notam fuisse, ex libro ejus de corde sagacissime eruant z), difficulter tamen concipio, qua ratione dignissima illa et amplissima doctrina, si medicorum parenti nota fuisset, non ad filios, nosque ipsos ab illis descendentes, pervenerit aa). Loquitur quidem de sanguinis περιόδῳ, longo alio autem sensu, quam nos accipere solemus.

Praeterea non ad vulgaria limitatam fuisse hujus viri in rebus anatomicis scientiam, ejus in operationibus chirurgicis audacia optime confirmat; — primus enim capitis contusi ossa terebravit, pectoris, rupto apostemate, ortum empyema sectione curavit bb), ventris hydrope tumidi parietes perforavit, ossa fracta, membraque distorta scite reposuit, uti ex variis ejus locis intelligitur, quae palam testantur, quam nos defendimus, Hippocratis peritiam anatomicam. Animalium dissec-

tionibus etiam non defuit cc), unde uterum bicornem et cerebri anatomen comparatam habet dd), imo *Sebastianus Basso* omnia fere, quae Aristoteles de natura animalium scriptis mandavit, ab unico Hippocrate didicisse severe contendit ee).

a) *Jac. Douglas.* Bibliogr. anat. pag. 2.

b) A prima ad septimam colli vertebram excurrentem curvaturam λορδὴν i. e. introrsum directam, a prima ad ultimam dorsi vertebram κυφὴν i. e. postrorsum directam, lumbos introrsum inclinantes, os sacrum ἰδίκυφον i. e. cum rectitudine extrorsum protuberantem vocat

c) Lib. de glandulis.

d) Ante Cloptonium Haversium, qui in osteologia nova de illis sermonem habet.

e) Lib. de articul. text. 36.

f) „*Pellicula, quae in auditorio meatu juxta os durum ad instar araneae tenuis est, quae prae reliquis pelliculis est siccissima,*“ labyrinthum quoque novit ex *Drelincourtii* loco, (Op. omn. pag. 198.) τὰς ἕλικας, τας λοξὰς δίκην λαβυρίνθον, ἐν αἷς το πνεῦμα οἷον κυλινδεῖται, (flexus et ambages labyrinthi ad instar, in quibus aër veluti volutatur).

g) *Richard Lowerus* Hippocratis sententias περι καρδίης collegit.

h) *Portal.* Hist. anat. T. I. pag. 29.: „*Pro Hippocratis aevo nimis fere accurata anatome est.*“

i) De ortu libri περι καρδίης legitimo. Basil. 1661. 4.

k) Quam ob hepatis viciniam ἡπατικὴν vocat. (lib. II. Epidem. sect. 4.)

l) Lib. de venis et lib. de locis in homine.

m) Ibid. »*Semen velut favus ab utraque vesicae parte est.*«

n) Ibid.

o) περι ὀστεων φύσεος, quem librum spurium esse ajunt.

p) Ibid.

q) Lib. de venis.

r) De genitura text. 9.

s) De natura pueri text. 5.

t) Ibid. textus 36.

u) Ibid. text. 45.

v) Lib. de resectione, text. 1, 2, 3, etc.

x) Lib. de venis.

y) De glandulis, de morbo sacro. text. 3. cerebrum, uti *Malpi-*

ghius inter glandulas refert cordis humiditates absorbentes, sedemque γνῶμης fecit.

z) *Ant. van der Linden.* De circulatione sanguinis. Exercit. I. Lugd. Bat. 1659. 4.

Pierre Barra. Hippocrate de la circulation du sang et des humeurs. Lyon 1683. 12.

aa) Lib. περι τροφης.

bb) Hac occasione apud *le Clerc* (Hist. med. p. I. lib. 3. cap. 28.) relatum lego, Hippocratem quoque auscultationem in morbis pectoris qua princeps diagnosticum invocasse, ab *Auenbruggero* nostro oblivioni ereptum.

cc) περι ἐπικυησεως.

dd) περι ἱερης νουσε, nec non in lib. 2. Epidemiorum.

ee) Praefat. philos. nat. advers. Aristotelem.

§. 41.

Erasistratus.

Erasistratus, Cous, Aristotelis et Chrysippi discipulus, in Seleuci Nicanoris aula vixit, tantoque erga anatomen amore flagravit, ut maleficos ab Antiocho, Seleuci filio, ipsi in gratiam salutis post gravem morbum feliciter restitutae concessos, vivos dilaniare susceperit. — Turpe, inauditum, immane facinus! de quo supra jam mentionem fecimus a).

Erasistratus sine dubio vasorum lacteorum inventor habendus; — in hoedis enim lactantibus usui anatomico recenter mactatis, vasa vidit lacte distenta, ubivis per mesenteria excurrere, quae tamen pro arteriis habuit b).

Venas arteriasque ex corde oriri docuit; — valvularum tricuspidalium et sigmoidearum (mitralium) nomen introduxit; — attractum pulmonibus aërem a corde absorberi et inde per aortam in varias corporis humani provincias amandari, sanguinem vero nonnisi in venis contineri ait d): »*Arteriae sunt meatus spiritus, sicut venae sanguinis;*« — Vasa bronchialia eleganter descripsit e), quorum tamen inventum *Ruyschius*, tot saeculis post, sibi arrogavit; — nervorum originem a dura meninge, senex vero factus a medulla deduxit f); — cibum potumque non in tracheam delabi, sed per

oesophagum ad ventriculum deportari contra *Platonem* asseruit g); — arterias et venas cum nervis primus inter partes totum corpus constituentes numeravit h); — venam azygeam verosimiliter cognovit i). — Parenchymatis quoque inventor erat ἀπο του παρεγχυειν; — fingebat enim sibi sanguinem in ultimis vasorum terminis, alveos venarum egredi, et per fibrarum interstitia diffundi, ibidem coagulari et tali pacto ad viscerum formationem et nutritionem impendi k), — ita explicantur voces apud ipsum frequentius obviae: »*renes αἱμαλοπεῖς, et jecur sanguinis concrementum.*« — Haec de parenchymate fabula, ad finem saeculi XVII. usque, omnium consensu recepta est, donec *Malpighius* glandulosam plurimorum viscerum naturam detexerit. —

Error loci, vulgaris quondam inter humoralistas phrasis, ab ipso primum adhibita m), transfusoque in arteriam sanguine febrem fieri dixit. Physiologica ejus placita recensuit *Hallerus* n).

Tanta hujus viri apud veteres autoritas fuit, ut omnia ejus dicta vera putaverint. *Plutarchus* o) Aesculapio ipsum aequiparat, *Macrobius* p) medicorum nobilissimum vocat, et ad Christianos ipsos fama ejus penetravit q). — Pertinax tamen ejus inimicus erat *Galenus*, qui longum eorum, in quibus erraverit, nobis reliquit r) catalogum.

a) Vid. hujus op. §. 18.
b) *Galenus.* Administrat. anat. lib. VII. cap. 16.
c) In libro de febribus apud Galen. Placit. lib. VI. cap. 6.
d) *Jul. Pollux.* Onomast. lib. II. cap. 5. n. 6.
e) *Galen.* loc. adfect. lib. V. et art. ven. diss. c. 9.
f) *Galen.* De Hippocratis et Platonis dogmat. lib. 7. cap. 5. et 17.
g) *Macrobius.* Saturn. lib. VII.
h) *Galen.* in introduct.
i) Arter. venarumq. dissect. c. 9.
k) *Galen.* Medic. compos. lib. VIII. cap. 7.
l) *Galeno*, *Oribasio*, *Aretaeo* Cappadoce quoque adoptata, multum analogi habet cum illa, quam sagac. *Wilbrand* nuper divulgavit.
m) *Celsus* in praefat. lib. I.
n) Bibl. anat. Tom. I. §. 29.

o) Lib. de curiositate.
p) Saturnal. 15.
q) *Tertullianus* in apolog. cap. 3.
r) „*Impudenter in his mentitus deprehenditur Erasistratus, quae ex dissectionibus hauriuntur.*"

§. 42.

Herophilus.

Praxagorae discipulus, Chalcedonius, Alexandriae vixit, Ptolemaei Lagidae tempore. Instaurator anatomiae humanae a *Galeno* a) habetur: »*ea enim, quae per dissectionem cognoscuntur, exactissime tenebat et plurimam ejus rei cognitionem, non ut plerique in brutis animalibus, sed in ipsis hominibus adeptus erat.*« —

Singulari opera in cerebri et nervorum anatome versatus b), nervos in motorios et sensorios distinxit c), — nervum opticum cavum esse voluit, — retinam in oculo invenit d), arachnoidem in cerebro e), — os hyoideum παραϛατην vocavit f), »*quia tonsillis adstet*,« — prostatam glandulae nomine insignivit, — arteriam pulmonalem venam arteriosam, venam vero, arteriam venosam nuncupavit g), quae nomenclatura ad *Harveium* usque περίτροπῆς inventorem sacra habebatur, — venas intestina adeuntes »*in glandulosa quaedam corpora terminari*« dicens, fidem nobis facit, vasa lymphatica glandulasque mesenterii ipsi quoque notas fuisse h). — Epidydymon sub nomine parastatae varicosae primus descripsit i), — vasa spermatica a renalibus nonnunquam venire observavit k), — intestini duodeni et calami scriptorii nomen primus adhibuit l). — Ex illis, quae modo adduximus, satis elucet, hunc virum inter anatomicos majoris ordinis jure referri, ejusque nominis omnino dignum fuisse, quo apud antiquos et modernos pariter veneratur. *Gabriel Faloppia* (non Fallopius) tantis ipsum laudibus extollit, ut ejus placita pro evangelio habuerit, dicens m): »*nam quando Galenus refutat Herophilum, censeo ipsum confutare evangelium.* — Ceterum ejusdem criminis cum Erasistrato reus habetur.

a) De uteri dissect.
b) *Galen.* de locis affect. lib. III. cap. 10. „*primus cum Eudemo post Hippocratem nervorum anatomen accurate scripsit.*“
c) νεῦρα αἰσθητικὰ καὶ νεῦρα προαιρητικά.
d) *Ruf. Ephes.* lib. III. ad fin.
e) Ibid.
f) *Pollux.* Onomast. lib. II. cap. 4.
g) *Ruf. Ephes.* loc. cit.
h) *Gal.* lib. de usu partium: „*primo namque toti mesenterio natura venas effecit proprias, intestinis nutriendis dicatas, haud quaquam ad hepar trajicientes, verum, ut Herophilus ait, in glandulosa quaedam corpora desinentes.*“ Fusius loquentem vide: *Jans. ab Almeloveen* Inv. nov. ant. §. 23. etc.
i) De util. part. lib. IX. cap. 11.
k) *Gal.* de vulvae dissect.
l) *Schulze* lib. cit. pag. 376.
m) Comment. de Dioscoridis Anazarbaei mat. med. cap. I. — Ceterum Eudemus ubique fere Herophilo jungitur, quoties de anatomes melius et subtilius cultae autoribus apud Galenum sermo est. — Seorsim ipsi in acceptis refertur, quod de cerebro et nervis longe utiliora et praeclariora, quam quisque ante ipsum, prodiderit, omninoque existimo, post Eudemum et Herophilum nulla anatomicae disciplinae incrementa fuisse. *Gottlieb Stollen* Hist. der medic. Gelahrtheit. Jena 1731. 4. pag. 396.

§. 43.

Medicorum sectae.

Post horum virorum obitum anatome ad Galenum usque, labentis peritiae anatomicae Statorem, lethargico sopore oppressa, aut nullos aut tam exiguos cultores invenit, ut sicco pede eos, ne dissertatio nostra justo magis tumeat, lubenter transeamus. Est autem haec periodus satis longa, quippe quae a Ptolemaei Philadelphi morte (period. Julian. 4467.) usque ad excessum Lucii Veri Imperatoris, circa annum aerae Christ. 152. viventis, ergo plus quam 416 annorum includit. Medici enim hujus aetatis scholarum turbine abrepti, vanis disputationibus unice intenti, anatomen omnis firmioris scientiae medicae basin everterunt, et quasi inutilem oblivioni tra-

diderunt a) usque ad *Marinum*, qui paullo ante Galenum vixit.

a) *Celsus* in praef. med.

§. 44.

Ita *Themison* Laodicenus, Asclepiadis discipulus, Augusto imperatore floruit. — Senex jam et longinqua experientia roboratus vir, medicinam simplicissimam, invenit methodicam dictam a); — philosophiam b) tamen et Anatomen nostram prorsus superfluam esse judicavit, — nec mirum, institutiones medicas enim omnes, sex mensium spatio, discipulis suis tradidit c). — Morborum et remediorum cognitionem, medico sufficere persuasus, omnem corporis humani contemplationem utilem esse negavit. — Sunt, qui nostris temporibus simile judicium ferre non erubescunt.

a) *Stolle.* op. cit. pag. 44.
Barchusen. op. cit. pag. 145. etc.

b) *Theodorus Priscianus* egregie dicit: „*Sin minus eruditi ac rustici homines, natura tantum imbuti, non etiam philosophia occupati essent, levioribus aegritudinum incommodis vexaremur, et faciliora remedia caperentur;*" apud *Stolle.* lib. cit. pag. 571.

c) *Galenus* de method. med. lib. I. cap. 1.
Xenophon et Apollonius Memphites, partium nomina medicis sufficere contenderunt. *J. Riol.* op. omn. cap. 4.

§. 45.

Empiricorum secta, pariter famosa, anatomen etiam omnino superfluam habuit. Experientiam et usum, non vero disputationem medicum facere contendentes ejus asseclae, morborum observationibus unice intenti, omnem circa naturam hominis sani indaginem omiserunt. Nam colorem ajebant, laevorem, mollitiem, duritiem similiaque, non esse talia inciso corpore, qualia integro fuerunt, — neque quidquam esse stultius, quam quale quid vivo homini est, tale existimare esse moriente, imo jam mortuo a). *Galeni* b) senten-

tia huc spectat dicentis: »*Empirici nec inveniri quidquam membrorum dissectione concedunt, neque si fieret, id arti necessarium esse.*« Sine dubio Herophili et Erasistrati atrocia facinora, adeo perosam ipsis reddiderunt anatomen, ut nullam aliam ad artis exercitium admitterent, praeter τραυματικην, aut την κατα περιπτωσιν c), dicentes: »*Si quid est, quod adhuc vivente homine conspectui subjiciatur, id saepe* casum *offerre curantibus,*« quem omni institutione legitima meliorem habuerunt. —

Membrorum tamen et eorum, quae ad medicinam externam pertinent, cognitionem non penitus aversabantur, imo eorum notitiam ad praxim rite instituendam, necessariam habuerunt.

Haec schola, de cujus autore nondum constat inter historicos d), multos tulit eosque famigeratos medicos, quorum nomina in artis salutiferae monumentis, verecunde legantur e)! — nihilo minus hodie adeo eviluit eorum memoria, ut Empirici nomen, convicii loco, cuidam imponatur.

a) *Galen.* de subfig. Empir. cap. V.
b) De sectis medic. cap. III. §. 2.
c) Vide supra §. 19. de casu fortuito.
d) Alii enim Acronem Agrigentinum, alii Serapionem, alii Philinum Coum, Herophili discipulum, institutorem fuisse volunt. *Galen.* de sectis. cap. I. *Plinius.* Hist. nat. lib. XXIX. cap. 1.
e) Serapion, Menedotus, Heraclides Tarentinus etc. *Barchusen* l. c. pag. 142.

§. 46.

Aliqua anatomiae umbra quidem in Herophili et Erasistrati discipulis a), et in sectae dogmaticae asseclis b) supererat, eaque sola ex animalium dissectionibus habebatur, donec absurdi illi homines, caedibus animalium manus suas cruentare detrectantes, suam in his rebus imperitiam, subtilium disputationum ornatu tegebant. *Galenus* tamen, plurium virorum nomina honeste affert, quibus aliquantum artis nostrae rudimentum non potest derogari. Ita *Eudemus* c) bene tractavit de ossibus, — *Xenophon* d) de appellationibus par-

tium corporis humani librum scripsit, — *Martialis* c), *Chrysermus* f), *Bacchius* g), *Heraclides Erythraeus* h), qui septem libros scripsit de pulsu, omnes in arteriarum historiá clari; — *Alex. Philalethes* i) de oculis scripsit, — ab *Aristoxene* k) refutatur, — *Aratus Solensis*, secundum *Suidam*, anatomen conscripsit l), — *Mnesitheus* m) Elephantum dissecuit, — *Dieuches* n), *Medius* o), *Cleitarchus* p) de musculis tractarunt, ultimus etiam περι σκελετον q). — Ptolemaei quoque anatomen omnimode sustentarunt, et regnante Cleopatra, gravidam feminam incisam fuisse, Talmudici r) perhibent, fetumque perfectum in utero repertum.

a) *Richard. Mead.* Oratio anniversaria Harveiana. Lond. 1723. 8. accedit diss. de nummis quibusdam, a Smyrneis in medicorum honorem percussis.
b) Tribonici vocantur a Menodoto. *Barchusen* l. c. pag. 164. Hippocrates hujus sectae auctor habetur.
c) *Galen.* de util. part. lib. III. cap. 8.
d) *Galen.* Introduct.
e) Nomine tantum notus, *Haller.* lib. cit. §. 32.
f) Diff. puls. lib. IV. cap. 9.
g) In auscult. apud *Galen.* diff. puls. lib. IV. cap. 1.
h) ibid. cap. 10.
i) ibid. cap. 16.
k) ibid. cap. 10. et 4.
l) *Haller.* l. c. §. 35.
m) *Galen.* Administ. anat. VI. cap. 8.
n) *Galen.* de nat. hum.
o) ibid.
p) *Clearchus* secundum Athenaeum et Pollucem. Hall. l. c. §. 34. (d.)
q) Major longe est numerus anatomicorum, tantum primores adduxi, reliquos in *Halleri*, *Douglasii*, et *Schulzii* Opp. invenies.
r) *Ginzburger.* Medicina ex talmud. illustr. p. 11.

§. 47.

Haec foemina Cleopatrae temporibus dissecta, ultima certe fuit, quae cultro subjiceretur, ad annum usque MCCCVI. p. Ch., ubi Mundinus de Luciis, Mediolanensis, duarum feminarum cadavera dissecuit, de quo *Jac. Douglas* a): »*Anatomicus illustris, sectione celeberrimus, sub quo anatome,*

cum omnis eruditionis ecclipsin, universus orbis, densissimae barbariei interjectu, passus fuit, adeoque haec ipsa protinus evanuit ante tria secula et quod excurrit, primum in Italia resurrexit.« Unum anno MCCCVI., alterum anno MCCCXV. dissecuit b). — Ex his sectionibus, materiam pro compendio anatomico hausit, barbare conscripto, cui tanta fuit propter ortum ejus ex immediata cadaveris sectione auctoritas, ut legis jussu ad institutiones tironum per Italiam introduceretur. Patavii enim statuta medica jubent: »*ut anatomici explicationem textualem ipsius Mundini sequantur!*« c).

Post obitum ejus, iterum ad canes dissecandos redierunt anatomici d).

a) l. c. pag. 44. *Jacobus Carpus* ejus encomiasten et interpretem egit: „*quod nec antiquorum nec recentiorum reperiatur liber, qui in tam brevi sermone, tot et tanta de cognitione membrorum contineat.*"

b) *Ant. Cocchi.* Discors. Tosc. Fiorenza. 1745. 4. p. 57.

c) *Douglas.* l. c.

d) *Aldrovand.* Ornitholog. II. pag. 490.

§. 48.

Hactenus de Graecis philosophis, medicis, et medicorum sectis egimus, nunc de artium ingenuarum cum anatome nostra commercio, celeri calamo tractabimus, poëtica nempe et statuaria.

§. 49.

Poëmata Homeri.

Homerus in chirurgicis aeque ac anatomicis versatus fuit; — vulnerum enim consolidationes, medelas sanguini sistendo aptas, medicaminum salubrium usus, variis locis ubere exponit, luxationes et fracturas chirurgo melius describit, nec adeo pulchra finxisse, quam vera potius cognovisse nobis videtur. — In his nobis consentientem habemus Cl. *Schulzium* a) dicentem: »*Laudandum esse in hoc vate, quod tot locis, quibus vulnera heroïbus ad Trojam bellan-*

tibus illata canit, nunquam vel raro impingat in illis, quae ad ipsarum partium laesarum situm collocationemque pertinent, nec facile ullum ex vulnere a se indicato mortuum dicat, quin laesio, ista ex artis nostrae regulis, talis aestimanda sit, quod quidem efficere non potuisset, nisi anatomiae et chirurgiae notitia fuerit imbutus. — Meletius b) quoque pluribus locis demonstrat, Homerum anatomicae artis peritum fuisse, cui *Portalius* assentit, et ego. Neque anatomus tantum aut chirurgus, sed historicus etiam, philosophus, et geographus erat.

a) op. cit. pag. 439.

b) Monachus erat, et de natura et structura hominis librum graece edidit, quem Latio donavit *Petraeus Corcyraeus*. Venet. 1552. 4.

§. 50.

Quae in Iliade invenire potui, ad rem anatomicam spectantia, sequentibus continentur.

Ad partium corporis humani externarum, regionum plus minus vulnerabilium, ossium, articulorum etc. notitiam spectat Iliados lib. IV. vers. 146. et 147.

»Τοῖοί τοι Μενέλαε! μίανθην αἵματι μεροι
Ευφυέες, κνῆμαιτέ, ιδέ σφυρὰ κάλ' ὑπένερθεν« a).

Vulnerum lethalitatem, ex parte vulnerata apte explicat, et locum ad maxillam et aurem, *ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος*, adeo periculosum esse certe non dixisset, nisi vasorum nervorumque ibi reptantium, frequentiam nosceret. Tendinem, quem nos Achillis chordam vocamus, eleganter describit loris perforatum lib. XXII. vers. 396. seqq., — nervum vocat sueta sua voce, uti veteres tendines in genere nervos compellare soliti fuerunt. Ab hoc Homeri loco, hunc tendinem nomen suum habuisse plures credunt; ego vero inde nomen ortum esse credo, quod Thetis Achillem ibi prehenderit, et ut invulnerabilem reddat erga hostium tela, aequoris undis immerserit, quae pars, ubi sola sicca manserit, Paridis lethiferae sagittae introitum concessit. — Ulysses eo loco Cyclopem ense vul-

nerare meditabatur, »quo diaphragma hepar comprehendit.« b)

Plexum brachialem novit: ἵνα ξυνέχουσι τένοντες ἀγκῶνος c); — medullam vertebris inesse, ex Deucalionis caede palam fit d):

— — — — »ὁ δὲ φασγάνῳ αὐχένα θείνας
Τῆλ' αὐτῇ πήληκι κάρη βάλε, μυελὸς αὖτε
Σφονδυλίων ἔκπαλθ'« — — —

Crus binis ossibus componi, binosque ibi esse tendines validos e):

»'Αμφοτέρω δὲ τένοντε καὶ ὀστέα λᾶας ἀναιδὴς
'Αχρις ἀπηλοίησεν« — — —

In abdomine viscera, in thorace pulmones contineri f):

»Οὖτα δὲ δουρὶ παρ' ὀμφαλόν, ἐκ δ' ἄρα πᾶσαι
Χύντο χαμαὶ χολάδες.« —

nec non g):

»Τὸν δὲ Θόας Αἰτωλὸς ἐπεσσύμενον βάλε δουρὶ,
Στέρνον ὑπερ μαζοῖο, πάγη δ' ἐν πνεύμονι χαλκός.«

Cerebrum capite contineri h):

'Εγκέφαλος δὲ παρ' αὐλὸν ἀνέδραμεν ἐξ ὠτειλῆς
Αἱματόεις. —

Vesicam ossibus pubis subnecti i):

»Τὸν μὲν Μηριόνης ὅτε δὴ κατέμαρπτε διώκων,
Βεβλήκει γλουτὸν κατὰ δεξιόν. ἡ δὲ διὰ πρὸ
'Αντικρὺ κατὰ κύστιν ὑπ' ὀστέον ἤλυθ' ἀκωκή,
Γνὺξ δ' ἔριπ' οἰμώξας.« — —

A nervorum in humero plexu motum brachii dependere k):

— — — — »τὸν δ' αὖ κορυθαιόλος Ἕκτωρ
Αὖ ἐρύοντα παρ' ὦμον, ὅθι κληῒς ἀποέργει
Αὐχένα τε στῆθός τε, μάλιστα δὲ καίριόν ἐστιν
Τῇ ῥ' ἐπὶ οἱ μεμαῶτα βάλεν λίθῳ ὀκριόεντι,
Ῥῆξε δὲ οἱ νευρὴν, νάρκησε δὲ χεὶρ ἐπὶ καρπῷ.«

Mortiferum vulnus esse in cervice inflictum, ob meditullii vicinam l):

»Τὸν ῥ' ἔβαλεν κεφαλῆς τε καὶ αὐχένος ἐν συνεοχμῷ
Νείατον ἀστράγαλον, ἀπὸ δ' ἄμφω κέρσε τένοντε
Τοῦ δὲ πολὺ πρότερον κεφαλή, στόμα τε, ῥῖνές τε,
Οὔδει πλῆντ', ἤπερ κνῆμαι καὶ γοῦνα πετόντος.

Partium juguli laesionem exitiosam esse m):

»Φαίνετο δ', ᾗ κληῖδες ἀπ' ὤμων αὐχέν' ἔχουσιν
Λαυκανίην, ἵνα τε ψυχῆς ὤκιστος ὄλεθρος
Τῇ ῥ' ἐπὶ οἷ μεμαῶτ' ἔλασ' ἔγχεϊ δῖος Ἀχιλλεύς
Ἀντικρὺ δ' ἁπαλοῖο δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή.
Οὐδ' ἄρ' ἀπ' ἀσφάραγον μελίη τάμε χαλκοβάρεια
Ὄφρα τί μιν προτιείποι ἀμειβόμενος ἐπέεσσιν.«

Haec in medium protuli, non ut in Iliadem aliquis tamquam promptuarium anatomicum inquirat, ubi plena manu sparsos colligeret thesauros, sed ut anatomes nobilitas omnibus confirmatio esset, si ipsa poëtarum ars, ceteris altior, ejus consortium nón detractaverit.

a) „Sic tibi Menelaë! foedata sunt sanguine femora
Robusta, suraeque et malleoli pulchri inferius.“

Pectoris latus πλευράν, vertebram ἀστράγαλον, nates γλουτόν, claviculam κληῖδα, humeros ὤμους, femur μηρὸν, supercilia ὀφρύ, tibiam κνήμη (focile vocant Arabes), interscapilium μετάφρενον vocavit etc.

b) Odyss. lib. 9. — Ligamentum hepatis Homero notum habet *Galenus* de usu part. cap. 14.

Venae quoque cavae ascensum novit. *Portal.* l. c. pag. 18.

c) lib. 20. vers. 478.: ubi conveniunt nervi cubiti.

d) lib. 20. vers. 581. etc.

— — — ille vero gladio cervice percussa
Procul cum ipsa galea caput excussit, medulla vero
Exsiliit vertebris. —

e) De morte Amaryncidis, lib. IV. vers. 521.:

Ambo vero nervos et ossa lapis improbus
Penitus confregit.

f) De eodem. lib. IV. vers. 525. et 526:

Et vulneravit hasta ad umbilicum, at vero omnia
Effusa sunt humi intestina.

g) lib. IV. vers. 547. et 548.

Istum vero Thoas Aetolus irruentem percussit hasta
In sterno super mammam, fixusque est ensis in pulmone.

h) lib. XVII. vers. 297.

Cerebrum autem prosiliebat ex vulnere cruentum
Capiti inflicto. —

i) De morte Pherecli. lib. V. vers. 65. — 68.

Hunc quidem Meriones, quum adsequutus jam esset, insequens
Feriit glutaeum ad dextrum, et penitus
E regione juxta vesicam sub osse exiit cuspis;
In genua vero cecidit ejulans.

k) De pugna Hectoris erga Teucrum lib. VIII. vers. 328. et seqq.

— — — — Illum vero galeatus Hector
Retro ducentem nervum ad humerum, ubi jugulum dirimit
Cervicemque pectusque, maxime autem lethalis locus est,
Ea utique parte in se ardentem percussit lapide aspero,
Rupit autem ei nervum, obtorpuitque manus ad carpum.

l) De pugna Polydamantis erga Archelochum. lib. XIV. vers. 465. et seq.

Hunc percussit capitis et cervicis in commissura
Extremam vertebram, ambosque discidit nervos.
Hujus autem multo prius caput, osque, naresque
Solo allapsa sunt, quam tibiae et genua cadentis.

m) De loco periculoso vulneris ab Achille Hectori inflicto. lib. XXII. vers. 324. et seqq.

Apparebat tamen ea pars, qua claviculae ab humeris cervicem dirimunt
Gutturis, ubi animae citissima pernicies.
Hac in eum ardenti animo latus feriebat hasta nobilis Achilles.
Penitus autem per teneram cervicem abiit cuspis;
Nec tamen arteriam abscidit fraxinus aere gravis,
Ut aliquid ipsum adloqueretur, respondens verbis.

§. 51.

Artes plasticae.

Quantum anatome nostra per statuariam et pictoriam artem aucta fuerit et promota, et vice versa, nostris quoque diebus videre est, ex veterum monumentis, quae autorum suorum in arte nostra peritiam, facundo testantur silentio; — et si quid in illis egregium, certe maxima ejus pars non aliunde, quam ex perfectissima, cum formis corporis nostri externis concordantia, explicandum erit. — Si quid enim est in rerum natura, quod omnium admirationem in se jure rapit, si quid est inter entium myriades, quod praestantia sua omnibus ultro imponit, si quid demum est, quod aeterni numinis omnipotentiam creaturis suis palam faciat; — certe perfectius ornatiusque nihil invenies corpore humano. Ultimas manus operi suo imponens Deus, hominem creavit, omnium rêrum quasi epitomen, terrae dominum, decus naturae, effigiem sui. a) — —

Minime dicam, omnem harum artium praestantiam in sola corporis externi imitatione consistere, quod argumentum gravioribus potius censoribus dijudicandum relinquo; id tamen omnis mecum sentiet, scalprum aut penicillum ea manu promptissime duci, quam hominis in- et externi cognitio anatomica firmavit. Forma enim corporis nostri externa, a partium subter cutem sitarum figura, magnitudine, nexu etc. dependet b), quae qui ignorat, frustra artificis nomen affectabit. Quodsi itaque in veteri marmore ossium juga, musculorum lacertos, tendinum funes, vultuum vigorem, motuumque audaciam et veritatem, rite expressa, jure miramur, eo ipso ad artificum illorum scientiam anatomicam summopere aestimandam, inviti abripimur, atque *Phidiam, Polycletum, Lysippum, Praxitelem, Fragmonem* et *Ageladem* inter veterum anatomicorum chorum, lubenter referimus.

De hujus sententiae veritate, eo magis certus quisque fiet, qui ad harum artium pares cum anatome ipsa progres-

sus, attentus fuerit. — Vix enim longaeva barbarie oppressa anatome, redivivum in Italia sortita erat vigorem c), ubi statim in omnium artium liberalium, et plasticarum praeprimis, cadentem florem, novum dispersit jubar, ita ut inter primos anatomiae restauratores, celebrium quondam Italiae artificum nomina, jure merito emineant d). Immortalis *Titian* tabulas in *Andreae Vesalii* opere e) propria manu exaravit b). — *Michaëlis Angelus* hominum et animalium myologiam singulari amore tractavit g), et maris, foeminae amplexibus venereis juncti, sciagraphen dimidiatam commentus est. — *Raphael Sanctius* tunc demum artis pictoriae summam tenuit, quando anatomiae operam dare incepit. — *Leonardus da Vinci* in *Antonii Turriani*, Prof. Patavini, usus, musculos et ossa delineavit, et hominum equorumque anatomen sedulo coluit h); — librum integrum de laboribus suis anatomicis conscripsisse fertur i). — *Bartholomaeus Sorre*, pictor nulli secundus, ex cadaverum, quae ubertim dissecuit, paedore, phthisicus obiit. — *Alb. Dürer*, pictor et geometra magni habitus, anatomen tractare pariter non abhorruit k), uti *François Portebat*, pictor Parisiensis, anatomes in arte pingendi usum, summis justisque laudibus effert. — Nostris quoque temporibus artifices tirones anatomen ex cathedra publica audiunt l), et nostra theatra anatomica frequentius visitare non abhorrent.

a) *Joh. Ligaeus.* De hum. corp. harmonia libri quatuor. Paris 4. 1555.

Petrus Monedulatus. De homine magno illo in rerum nat. miraculo. lib. II. Witteberg. 1583. 8.

Ant. Wilh. Plaz. De corpore humano, divinae sapientiae et providentiae teste. Lips. 1725.

Fr. Schrader. De admiranda naturae in operibus suis subtilitate. Helmstad. 1681. 4.

J. Behm. Μικροκοσμος, seu hominis encomium. Orat. Lips. 1603. 4.

M. Hoffmann. Notitia Dei ex cadavere hum. Altdorf. 1647. 4.

F. W. Tafinger. Orat. de anatomia ejusque honore. Tubing. 1766. 4.

b) *Ant. Misauld.* De hominis symmetria. Lut. Par. 1575. 8.

Ernst. Ant. Nicolai. Abhandlung von der Schönheit des menschl. Körpers. Hall. 1747. 8.

Gerard Audran. Les proportions du corps humain etc. Paris 1683. fol.

c) *Jos. Grandi* Oratio, qua Italam anatomen reliquis praestantiorem esse ostenditur. Venet. 1706.

d) *J. Pietro Cavazzini Zanotti* Per lo incaminamento di un giovane alla pittura. Bologna. 1756. 8.

e) De corp. hum. fabrica libri VII. Basil. 1542. fol.

f) *Portal.* hist. anat. Tom. III. pag. 378.

g) *Ascanius Condivi* Vita M. Angelo. Florent. 1743. 4.

h) *Haller.* Bibl. anat. Tom. I. pag. 164.

i) *Portal.* l. c. pag. 378.

k) De symmetria part. corp. hum. seu de proportione corporis hum. lib. IV. e germ. lat. vers. Norimb. 1528. Paris 1557. Pictorium quidem opus, sed ideo anatomicis gratum, quod partium dimensiones, in utroque sexu, diligentissime exhibeat. *Herm. Boërhave.* Stud. med. method. Edidit *Haller.* Amstelod. 1751. Tom. pag. 322.

l) *De Piles.* Abrégé d' anatomie accomodée à la peinture et à la sculpture. Paris. 1765. fol.

Ipse demum *Hippocrates* (de prisc. med.) »*Anatomen non ad artem medicam, sed magis ad pictoriam pertinere*;« et *G. Bidloo.* Diss. de antiq. anat. in ejusdem Op. omn. anat.-chir. Lugd. Batav. 1715. 4.: »*Admiranda haec scientia, medicinae dextera, longe sese nobis ante ceteras artes, cum ab antiquitate et cultoribus regiis, imperatoribus, sacerdotibus, virisque sapientibus, cum ab utilitate et deliciis commendat, — quae omnibus artibus et scientiis suppetias ferre non recusat, sacrae Themidi — statuariae — pictoriae — πλαστικῃ omni.*«

Henr. Petraeus. Λογος ἐγκωμιαστικος, studii anatomici laudes et utilitates varias breviter complectens. Marburg. 1610. 4.

Caput Sextum.

§. 52.

Anatome Judaeorum.

Sacra volumina, antiquissimus rerum humanarum thesaurus, anatomiae vetustatem manifeste docent. Ita in libro Geneseos a) narratur de lucta Jacobi Patriarchae cum angelo, ubi nervus assignatur, qui omnium crassissimus in femore, ad tibiam imumque pedem defertur, quem tetigit angelus Jacobo, et crus inde contabuit, cujus calamitatis memores Judaei, ab eo tempore nervorum esu abstinuerunt b). —

Verae anatomes vestigia apud Judaeos inveniri *Hallerus* c) ait, quod neminem latebit, qui libros sacros, cursoria tantum manu, pervolverit. — Ipsa frequens victimarum immolatio, quae non rudis erat laniatio, sed cauta et attenta dissectio (orthotomiam vocarunt), largam occasionem praebuit, notitias anatomicas, qualescumque habuerint, indies augmentandi d). Talmudici auctores, ante Arabum tempora viventes, multa subtiliter disputarunt, quae ad rem anatomicam et physiologicam pertinent.

Caudam equinam primi habuerunt e), musculum clitoridis f) in scorto, tres renes, et duo intestina recta viderunt g). — Animalia liene exsecto, vel utero excisso supervivere asseruerunt h), renes affectuum, cor mentis sedem habuerunt: »*Proba me Domine et tenta me, ure renes meos et cor meum*« i). — »*Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt* k).

Salomon, rex philosophus, ipse medicinam coluit, et anatomen, ut videtur: »*Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit altissimus.*« (Eccles. XXXVIII.1—12).

Plurium morborum remedia invenit, eaque secundum *Suidae* testimonium, vestibulo templi Hierosolymitani insculpi curavit. Sunt, qui ipsum sanguinis circulum Salomoni cognitum fuisse contendant l).

Tanta hujus viri peritia medica fuit, ut Ezechias, libros de proverbiis et odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, et omni genere animalium, et de curatione morborum, e medio auferre coactus fuerit, »*ne populus inde auxilium habens, curationem divinam negligeret*« m). —

Ducenta quadraginta octo ossa noverunt, venas et ligamenta ter centum sexaginta quinque n). — Essaeorum secta rebus medicis plus, quam reliqui operam dedit, unde etiam medici κατ' ἐξοχὴν vocabantur o).

Vulgus tamen medicinam non magni fecit, et Patriarcharum temporibus, medicus inter servos habebatur: »*Praecepitque Joseph servis suis medicis, ut aromatibus condient patrem.*« Gen. lib. 2.

Chirurgicis operationibus etiam non deerant: »*Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro ecclesiam Domini.*« Deuteronom. XXIII. 1. gentisque signum pusioni cultro fecerunt: »*Et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris. — — Masculus, cujus praeputii caro, circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.*« Genes. XVII. 11 — 14. — Serius Hebraei medici non tantum Graecos legebant, et scientia proficiebant, sed etiam numero aucti fuerunt p).

a) cap. 32.
b) *Josephus*. Antiq. Judaic. lib. I. Apud *Joh. Riolan*. op. cit. cap. 3.
c) Bibl. anat. Tom. I. §. 94. Talmud.
d) Vide huj. op. §. 13. etc. Victim. et haruspicina. 5.
e) *Ginzburger*. l. c. pag. 10.
f) id. pag. 11.
g) ibid.
h) ibid.
i) Psalm. 25. 2.

k) Psalm. 72. 21.

l) *J. Smith*, Salomons description of old age. Lond. 1666.

m) *Portal.* l. c. pag. 14.

n) *Riolan.* Anthropograph. Paris. 1618. lib. I. cap. 3.

o) *Joseph.* hist. lib. 2. cap. 72. Medici primum occurrunt: gen. 50, 2., Exod. 21, 19. — — Job 13, 14., qui primum erat specimen pathologicum vario morborum genere afflictum, inter quos, ex ipsius verbis sequentes cognovi:

Lepram certe et Elephanthiasin: „*Egressus Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*" Job. II. 7 et 8.

arthritidem podagricam chiragricam, etc.

„*Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.*" Job 16. 8.

phthiriasin:

„*Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt.*" Job. XXX. 17.

dysenteriam:

„*Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea.*" Job. XVI. 14.

marasmum et stomacacen:

„*Pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*" Job. XIX. 20.

ephialtem:

„*Si dormiero, dicam: quando consurgam? — et rursum exspectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad vesperam. — Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris, cutis mea aruit et contracta est.*" Job. VII. 4 — 6.

Hisce *Pineda* addit: luem Veneream, anginam, famem caninam, ignem sacrum, cancrum, asthma etc. — Addit *Chrysostomus* cum *S. Athanasio*: „*Lethales fuisse hos morbos, si Deus eos ad cor aliamve principem partem proserpere permisisset*" et consequenter Jobum Martyrem vocat.

p) Eccles. XXXVIII, 1 — 12.

Marc. V. 26.

Luc. IV, 23 — 25, 31 — 38.

Jahn. Archaeologia bibl. Viennae 1805. §. 105.

§. 53.

Barbari.

Apud Indos, ante quatuor annorum millia, scriptores medici fuisse dicuntur a). Rem herbariam b), morborumque historiam c) coluerunt, tria pulsuum genera statuerunt d), quorum „radix sub umbilico delitescit", ab hac octies novena millia arteriarum oriuntur, quae per totum inde corpus distribuuntur. Radix haec (verosimiliter cordis vel hepatis metaphora) corallio similis, quatuor digitos transversos lata, duos alta, pariter pro hominis conceptione inservit. —

Persarum medicina laudatur ab *Abul-Pharajio*; anatome vero nulla fuisse videtur.

De Chinensium anatome sequentia, ex *Cleyeri* specimine collecta, oblectamento sint: In utroque brachio tres existunt arteriae, quarum una media ad digitum maximum, reliquarum altera ad pollicem, altera ad minimum digitum excurrit. In pedibus est una vena, quae venit ex naso intrinsecus, et ad hallucem pertingit, alia ab hirquis interioribus veniens in tertio digito, alia in minimo terminatur ita, ut summa arteriarum sit duodecim (Vide Tab. III.). Venas intestinorum quatuor assumunt. Corporis partes in membra et intestina dividunt; — membra habent sex, tria in sinistro latere: cor, hepar, renes, totidem in dextro: pulmo, lien, porta vitae. Intestinorum similis divisio, tria nempe in dextra: Intestina majora, stomachus, et organon ab umbilico ad plantam descendens in sinistra: Intestina minora, folliculum fellis, ureteres. Omnium primi nascuntur renes, dein cor, ultimo lien. Ex renibus fiunt dentes, ossa, auresque; ex corde facies, humeri, palmae, manusque; ex pulmonibus labia, nares, cutis, ungues, capilli. Pulmo supremum in corpore locum habet. (Tab. II.)

Cor Marti amicum, Hepar Jovi, Renes Mercurio, Pulmones Veneri, Lienem Saturno crediderunt. De Sanguinis circuitu f), quem ante quatuor annorum millia invenisse sibi persuadent, inauditam ideam habuerunt, quam qui velit intelligere, in

Barchusenii aureo opere saepius laudato inveniet. — — Nobis haec sufficiunt, ad rite censendum anatomes apud Chinenses statum, — fabellas et narratiunculas aniculis relinquimus. — Recentiori tempore Cl. *Parennin* g), ex Soc. Jesu, *Petri Dionysii* h) anatomen, in linguam Tartaricam transtulit, in usum Imperatoris Kang-hi. Omnem suam anatomen hactenus ex antiquissimo Nuy-king habuerunt i).

a) „*Brachmanes enim, tanta celebritate famae jam pridem noti, non plane hospites sunt in medicina.*" *Barchus.* De Indorum med. pag. 328.

b) *van Rhede* in praefat. hort. Malabar. Tom. III.

c) Tres morbos assumunt: Wadum i. e. ventum in corpore; Bittum — vertiginem; Tshertum — humorum impuritatem.

d) Pulsus qualitatem insolita phrasi explicarunt: saltat uti rana, reptat uti lumbricus etc.

e) *Andr. Cleyer.* Medicina Sinica. Francof. 1682. 4.

f) *Andr. Cleyer.* pag. 68. Extractum in *Barchus.* de med. Sinens. pag. 340. et seqq.

Vitae humanae cursum cum coeli cursu commensurantes, circuitus sanguinis chimaeram insolitam statuerunt, per vias duodecim; — qui circuitus a hora tertia matutina (qua hominem masculum primo conditum censent, uti mulierem hora tertia vespertina) initium ducit a pulmone, et post fluxum horarum Sinicarum duodecim (nostr. 24.) desinit et terminatur in ipso hepate, hora exeunte secunda matutina diei sequentis. *Cleyer.* pag. 15.

Nic. Trigantius. De Christiana expeditione apud Chinenses. Lib. I. cap. 5.

g) Hist. de l'academ. des sciences. 1726.

h) Anatomie de l'homme suivant la circulation du sang. Paris. 1690. 8. *Hallerus* in Mansuricam translatum fuisse credit. Bibl. anat. I. Dionys.

i) *Michaël Boymius.* Clavis Sinica. In Act. nat. cur. dec. II. ann. IV. cujus libri auctorem ipsum Hoam-ti fuisse ferunt, tertium monarchiae imperatorem, qui anno 2689. ante Christum vixit.

Pulsuum theoriam subtilissime, ut nullibi magis excultam videbis, ita quidem ut pro singulo viscere peculiare habuerint pulsuum genus, in determinata corporis parte tangendum. Excerpta lit. erud. Europ. in China in *Cleyeri* Medicina Sinica. pag. 77. etc.

Brevem conspectum anatomiae Sinensis, operi adnexa tabula exhibeat ex *Cleyero.*

§. 54.

Arabes in anatomicis nihil proprii habent, ipsa lege sacra hominum et animalium incisione prohibita a): »*neque magnifici quid sperandum a medicis Arabibus, quorum nullus sectionem corporis humani aggressus est, cum religione sua id facere prohiberentur.*« b) Graecos et Galenum in anatomicis fere unice sequebantur, et non solum nihil novi addiderunt, verum etiam veteris scientiae magnam partem omiserunt. Physiologiam magis coluerunt, utpote ingenio magis quam manibus amplectendam, praecipue theoriam somni, unde *oneirocritici* vocabantur, et alia plura c). Scripserunt tamen de anatome, aliorum manibus instituta, *Isaac* d), Salomonis Arabiae regis filius, *Moses Maimonides* e), et antiquissimus *Honain* f).

In medicina et chirurgia valde celebres habuerunt viros, uti *Abubecker Mohammed Ebn Zacharia El Rasi*, (*Razes* vulgo dictus) qui Galenicam quoque anatomen habet, et orificia, ex quibus saliva ori stillat g). Partes versus superficiem magis sitas, venas utpote, angularem, salvatellam, aliasque melius noverunt, morbis et operationibus ducti h). *Hali Ebnol Abbas* i), item plura anatomica habet a Galeno accepta, et *Avicenna*, (*Abu Ali Houssain Ben Abdallah Ben Sina*), cujus canonis lib. I. Ten. I. totus de anatome et physiologia tractat. — Aristotelis placita cum illis Galeni junxit, hymenem ex arteriis et venis contextum, venam sine pari (a pulmonali oriundam), diaphragmaticum nervum (a recurrente,— venam S e i l e m dictam, inter medium digitum et annularem sitam, ex vena nigra (ulnari) derivavit; —ductum ab oculo ad nares, aryepiglottideos musculos, anatomen matricis praegnantis et embryonis novit k). — Huic similis totus Averrhoës commentator l). — *Alsaharavius* (*Albucassem El Calaf Ebn Abbas El Zaharavi*) eum chirurgum anatomes peritum esse vult; icones etiam anatomicos habet,— numerum ossium corporis humani posuit CCXLVIII, »*praeter os gutturis, quod literae graecae lambdae simile est, et praeter os cordis, et praeter ossa parva sesaminia, et praeter duo ossa rotunda*

genuum« m). — *Mohamed Algapheki* n), *Mansur Hamed* o), *Jesu Hali* p), quidquam anatomici habent.

De Aethiopibus etiam lego, quod mortuos secuerint, eorumque partes investigaverint q). — Haec de barbarorum anatome barbara!

a) *H. Conring.* Introd. cap. IV. §. 18.

b) *Goelike.* lib. cit. pag. 42.

c) *Apomasaris.* Apotelesmata s. de inventis et significatis somniorum ex Indis etc. Francof. 1577. 8. Interp. *J. Leunclavio.*

d) lib. de oculis. Lugd. Bat. 1515. fol.

e) Aphorism. Venet. 1497. fol.

f) *Haller.* l. c. pag. 96.

g) Opera ejus prodierunt Basil. 1544. fol. Sub Almansore, Cordubae rege, floruit, anatomen ordine eleganti exposuit, (*Douglas* l. c. pag. 37.) medicinam per octoaginta annos fecit, et cognomen Experimentatoris sibi vindicavit.

h) Id. lib. VII.

i) *Al Mangiuschi* dictus. Op. Lugd. Bat. 1523. 8.

k) Opera Venetiis 1544. 1555. fol., Basil. 1556. fol., Gröning. 1649. 12. prodierunt.

Persa, Bactriae oriundus erat, principis filius, medicus, philosophus, magus, et alchymista clarus. Sub Conrado III. Imperatore floruit.

l) Cordubensis, theoreticus magis quam practicus. Lugd. Bat. 1531. 8. prodiit.

m) Edit. Argentor. 1532. fol. Lib. Theor. Tract. IV. cap. I. Os gutturis (nobis os hyoëides), aqud veteres ob figurae similitudinem λαμβδοειδες vocatur et ὑψιλόειδες, (*Casp. Bauhinus* Anat. lib. III. cap. 87.), φαρυγγετρον etiam, quia penes fauces consistit, (*Joh. Vesling.* Syntagm. anat. cap. IX. pag. 160.), apud *Spigelium* (lib. 2. cap. 14.) rectius cum maxilla inferiori comparatur.

Ossa cordis in homine mihi non innotuerunt, nisi morbo quodam genita, — in ruminantibus tamen nonnullis reperire sciunt zootomici.

Os sesami, a magiae sectatoribus Albadaram vocabatur, occurrit quoque sub homine *Luz*, quod nulli sit corruptioni obnoxium, „*usque adeo ut nec igne vincatur, et ex eo ceu semine in resurrectione mortuorum, nostrum corpus repullulabit.*“ (*Henr. Conrad. Agrippa*, de occultis physicis, cap. 20.). Tale os in humano corpore dari probant nonnulli ex verbis Psalm. 34., vers. 21. „*Custodit dominus ossa justorum, unum*

ex his non confringetur." Rabbini os Luz non ad digitorum articulos referunt, sed ad lumborum vertebras: „*Luz est os, inquit, Baal Aruch, parvum in fine duodecim vertebrarum. Totum corpus hominis putrescit, excepto illo osse, estque simile amygdalae.*" Vide *Guern. Rolfink.* Disput. anatom. Norimberg. 1656. 4. cap. 54.
Ossa rotunda genuum, scutiformia quoque veteribus audiunt. (*Vesling.* lib. c. cap. XVII. pag. 253.). In lib. II. de sectione quoque tractatur de perforatione, de phlebotomia, non sine notitia anat. —

n) *Haller.* lib. cit. §. 107.

o) Ibid.

p) Ibid.

q) *Bidloo*, diss. cit. in Opp. omn. anat. chir. L. B. 1715. 4.

§. 55.

R o m a n i.

Inter tubarum classica, armorumque strepitus, Romulidum gens adolevit. Morum simplicitate firmus, bellorum consuetudine ferus, triumphisque erectus animus, medicinam medicosque diu ignoravit, ideoque magnanimos reges, ducesque potentes multos Roma tulit, — medicorum paucos, — anatomicum unum. — Primis reipublicae temporibus, medicinam ingenuo homine indignam, mancipiis servisque exercendam reliquerunt a), et medicos cum cubiculariis pari contemptu habuerunt. — *Seneca* medicos mortalium humillimos vocat b), et *Plinius* ipse affirmat c), artem salutarem, utut contemptam, diu inter ceteras artes Romanos discere noluisse; — revera superfluam et inutilem artem populo, cujus dictatores, aranti tauro comites ibant, et ex pauperi tugurio, terrarum orbi leges dictare maluerunt, quam partum avito et proprio cruore nomen, inerti contaminare luxuria. Haec vero felix medicinae ignorantia, ad illud tantum tempus duravit, ubi aviti rigoris simplicitas, voluptatis et luxuriae lenociniis paulatim cessit, et crescente morborum numero, medicorum quoque auctoritas incrementa ceperit.

a) *Thom. Dempster*, in Not. ad Joh. Rosini Antiquitt. rom. lib. II. cap. 17.

Laurus Pignorius. Comment. de servis. Amstel. p. 71.

Christ. Wollius. De honoribus medicorum apud veteres.

Conyers Middleton. De medicorum apud veteres Romanos degentium conditione. Cantabrig. 1726. 4.

Fried. Boeckelmann: Medicus Romanus servus sexaginta solidis aestimatus. Lugd. Bat. 1671. 12.

Graeci tamen cultu et humanitate Romanis longe potiores, medicinam medicosque adeo aestimarunt, ut ne foeminam quidem, (ad artem obstetriciam), neque servum ad artem medicam admitterent, secundum Hyginum, apud *Zach. Platner.* Prolus. De arte obstet. veterum, in fasc. II. Opusc. Lips. 1748. 4. pag. 63.: „*Antiqui obstetrices non habuerunt, unde mulieres verecundia ductae interierunt. Nam Athenienses caverunt, ne quis servus aut foemina artem medicam disceret. — Agnodice quaedam puella virgo, concupivit medicinam discere, quae cum concupisset, demptis capillis, habitu virili se Herophilo cuidam tradidit in disciplinam, quae cum artem didicisset, et foeminam laborantem audivisset ab inferiori parte, veniebat ad eam, quae cum credere se noluisset, aestimans virum esse, illa tunica sublata ostendebat, se foeminam esse: et ita eas curabat. Quod cum vidissent medici, se ad foeminas non admitti, Agnodicen accusare coeperunt, quod dicerent eum glabrum esse, et corruptorem earum, et illas simulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitae consedissent, Agnodicen damnare coeperunt, quibus illa tunicam allevavit, et se ostendit foeminam esse.*“

b) Epist. 867.

c) Hist. nat. lib. 29. cap. I.

§. 56.

Ex hac servili medicorum contemptione, in artem ipsam propagata, necesse fuit, circumforaneos tantum, aut impostores nomen suum Medicinae dedisse publicae, a quibus quantum promota fuerit anatome, palam est. Attamen castrationem rite exercebant a), circumscissionem instituere noverunt b), venas feliciter secarunt c), et carnificis d) simul, vel vespillonis e) officio fungebantur.

„*Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.*“

Luc. Aemil. Paulo, et Marc. Liv. Salinatore, Coss. *Archagatus*, Lysaniae filius, Romam venit, qui famosam ab initio praxim exercens, jure civitatis et taberna, publ. aere empta donatus est. — Mox vero a saevitia secandi, urendique libidine, (chirurgus enim erat), nomen ejus in carnificem versum, et in taedium ejus ars, idque praecipue, dum rumor per populum esset, Graecos conspirasse, ut per medicos populum Romanum clam attererent. Nonnullas tamen operationes chirurgicas, tunc temporis inter Romanos exstitisse, ex *Juvenalis* f) loco videtur:

„*Hispida membra quidem, et durae per brachia setae*
Promittunt atrocem animum, sed podice laevi
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae."

Sectionem Caesaream antiquitus jam institutam fuisse, ex lege regia Numae Pomp. cognoscimus: »*Mulier praegnans non debet humari, antequam partus ei excidatur.*« Vid. *Hofmann*, de insignioribus puerperii temporibus. — Caesar inde nomen habuit, quasi ex matre caesus; Lycastus etiam, de quo *Virgil.* Aeneid. lib. X. vers. 315. — In *Ovidio* quoque (Metamorph. II., III.), et *Luciano* (Dialog. Mercur. et Neptuni) hujus rei mentio fit.

a) *Seneca*, lib. IV. ad Lucium Cornelium, de sicariis.
b) *Paullus*. Lib. V. rec. sent. tit. 22. §. 3.
c) *Cicero*, orat. in Pisonem. c. 34.
d) *Suetonius* in Neron. c. 37.
Aul. Gellius. Noct. Attic. lib. X. cap. 8.
e) *Martialis* Epigr. 31.
f) Satyra II. vers. 12. seqq.

§. 57.

Caesar medicis omnibus civitatem concessit, et Pompeji temporibus, centum annos post Archagatum, *Asclepiades*, Bithynus, Romam venit, qui garrulitate sua, et callida impostura, Romanorum animos sibi conciliavit. Anatomen quidem nostram non multum literis promovit, bene tamen ejusdem gnarus fuisse intelligitur, ubi arduam et difficilem operan-

di modum, tracheotomiam nempe, in aegris angina suffocativa correptis, primus tentaverit. — Medicinam (quam studium mortis vocavit) citam, tutam, jucundamque fecit a), circa diaetetica quam plurimum versatus. Orator egregius, philosophus subtilis, medicus solers, ad serum usque senium celebris, magnorum virorum (Ciceronis) familiaris, *Tullium, Bassum, Niceratum, Petronium, Diodotum* et *Sextium Nigrum*, discipulos habuit, quorum nemo tamen anatomica laude inclaruit. — *Nigidius Figulus*, Senator Romanus, de animalibus scripsit, ideoque Macrobio b), maximus rerum naturalium indagator vocatur. *Tryphonem, Euelpistum* et *Megetem* in chirurgicis claruisse, ex Celso c) comperimus.

a) *Celsus*. De medic. lib. III. c. 4.
b) Saturnal. lib. III. cap. 16.
c) Praefat. lib. I.

§. 58.

Hujus loci est etiam *Cassius* Iatrosophista, Asclepiadarum sectae addictus, cujus opera a) quidquam anatomici habent, ad rem chirurgicam praecipue spectantia. Decussationem fibrillarum in medulla oblongata perspexit, indeque singulare phaenomenon explicavit, quod calvariae latere dextro vulnerato, sinistrum sideretur, et vice versa. Oscitantes minus prompte audire, et luci obversos sternutare, ex anatomicis pariter intellexit b).

Moschion, Neronis tempore medicinam fecit, scholae methodicae assecla, cerebri motum a sanguinis motu fieri docuit c). Ob alios (praecipue praeceptorem suum Asclepiadem) carpendi libidinem, Correctoris nomen accepit.

Thessalus, Attalus et *Archigenes* practicam magis, quam anatomen coluerunt, cujus tamen gnari omnino fuerunt d).

Aretaeus, Cappadox, Caesaris Augusti imperio floruit. Anatome ejus non valde exacta est, nec aliter esse potuit, cadaverum incisionibus, severissimarum legum dicteriis, vetitis. — Nihil quidem minutim descripsit, sed nusquam etiam erro-

rem commisit. — Venas a jecinore oriri, — renum fabricam glandulosam esse, — uterum lato et rotundo ligamento firmari, — uteri tunicam chorio adhaerere, — sensum et motum omnem a nervis dependere, — linguam inter musculos pertinere, — venam portarum in hepate cum vena cava, surculis capillaribus, jungi (intellige hepatica!) — praecipua ejus placita sunt, ad anatomen facientia, reliqua collegit *J. Wiggan*, auxitque *Hallerus* e). — De ductibus hepatis, ad renes descendentibus, nescio, quid somniaverit f).

Soranus, Ephesius, librum περι μητρας και γυναικειου αιδοιȣ scripsit g), exiguum quidem, sed ex humana anatome natum, ideoque magni faciendum. Uterum bicornem hominis negat, (quem antecessores ejus, ex mammalibus, false ad hominem transtulerunt), arterias ejus ex renalibus derivat, ovaria, (testes foemineos), glandulosa facit, cotyledones, a *Diocle* foeminis adscriptos, rejicit, pterygomata etiam, seu nymphas, et clitoridem habet h). — Opera ejus anatomica, *Galeno* ipso principatus anatomici palmam praeripere, *Portalius* i) fatetur.

Aurelius Cornelius Celsus, Tiberii, Caligulae, et Neronis tempore floruit. — Cicero medicorum, — anatomen propriam non habet k), cujus tamen utilitatem contra Empiricos tuetur l).

In libro quarto, viscerum anatomen tractat, ubi ligamentum renis dextri ad duodenum commemorat.

In libro octavo, ossium succinctam historiam tractat, cujus *Petrus Pau* commentarium edidit m).

Sub initio cujusvis capitis, anatomiam partis exhibet, brevem, succinctam, ad commodius intelligendos status ejusdem morbosos. — Cremasterem, — tunicam erythroidem, — vaginas testium et funiculi spermatici, primus commemorat, et dexteritatem suam anatomicam, plurimis iisque difficillimis operationibus chirurgicis recenter inventis, satis superque nobis patefecit, ut ulteriori elogio indigere revera non videatur.

Scribonius Largus, Empiricus, puncta lacrymalia cognovisse videtur n). *Hallerus* memorabilem ejus locum adducit, ex quo patefit, quod ad veram sanguinis in circulum

pulsi viam primus attentus fuerit, veritatis tamen semet ipsam offerentis confessionem, contra valentem tunc temporis medicorum sententiam, palam facere non ausus fuerit; vidit enim: »*Si quis super laqueum in brachio venam percusserit, perinde sanguinem incitari ex ea parte, quam ex inferiori loco, cum percussa est vena.*« Manifesto indicio, venas sanguinem revehere ad cordis, unde venit, atria. *Julius Obsequens* o), *Epigenes Byzanthinus* p), *Proculus*, Themisonis discipulus q), physiologica plura reliquerunt.

Athenaeus Attaleus, Cilix, testes inutiles esse voluit r).

Rufus Ephesius in omnibus fere artis medicae spartis eminens ingenium, περι ὀνομασιας των τε ἀνθρωπε μοριων, libros tres, ad filium directos, conscripsit, in quibus nervi olfactorii, — thymi — amnii — vesiculae urinariae — infundibuli — tonsillarum — ventriculi situs mutati sub digestione etc. s) mentio fit.

Marinus, instaurator anatomes a *Galeno* dicitur. Nervorum septem paria, et anastomosin inter septimam et quintam nervorum conjugationem affert t). Glandulas in conglobatas et conglomeratas distinxit, quarum priores vasis tantum firmandis, posteriores humoribus ex sanguine secernendis inserviunt u).

Stratonicus v), *Lycus* x), *Numesianus* y), Galeni praeceptores fuerunt, ob discipuli famam, aequae laudis participes, — venit enim ex radicibus, qui viret in foliis humor.

a) Ἀποριαι φυσικαι. Tigur. 1562. 8. Cura *Gesneri*. Naturales et medicinales quaestiones circa hominis naturam etc. Tig. 1562. Cur. *Schnerberger*.

b) Probl. I. De consensu part. n. 41.

c) *Galen.* differ. puls. lib. IV. cap. 16.

d) *Portal.* Hist. de l'anat. et de la chirurgie. Tom. I. cap. VIII. pag. 60. et 61.

e) *Hall.* lib. cit. pag. 70.

f) Curat. acut. lib. II. cap. 6.

g) De vulva et muliebri pudendo. Paris. apud Morell. 1556. 8. Interpr. *Rasario*.

h) Nympharum nomen inde ortum credit *Lindanus* (Med. phys.).

quod sponsum primo intromittant, vel quod aquis praesint, et humoribus ex pudendo prosilientibus. (Crista quoque poëtis audit.)

Clitoris autem ἀπο τȣ κλειτορίζειν (lascive tractare) derivanda, quo notatur scelestus mulierum contactus, quo se invicem ad voluptatem et seminis ejaculationem instigantur. Cujus exemplum *Tulpius*. Observ. med. Amstel. 1641. 8. lib. III. cap. 35. — Vocatur et mentula, virga, penis muliebris, tentigo, etc. apud varios auctores. *Vesling*. op. cit. cap. VII. pag. 104.

i) l. c. cap. X. pag. 95.

k) *Morgagni*. Epist. anat. Leid. 1728. 4 Cur. Boërh. Epist. IV.

l) Praefat. med.

m) Succenturiatus anatomicus. Lugd. Bat. 1616. 4.

n) *Hall*. lib. cit. pag. 69.

o) Fragmentum ejus operis prodiit Florent. apud Juntas 1515. 8., Argentor. 1514. 8., Basil. 1521. 8.

p) *Censorinus*. Dies nat. cap. 17.

q) *Galen*. diff. febr. lib. II. cap. 6.

r) *Galen*. lib. de semine. II. cap. 1.

s) *Hall*. l. c. pag. 79.

t) ibid. pag. 80.

u) *Galen*. lib. de sem. II. cap. 6.

v) ibid. cap. V.

x) Macedo, Galeni tamen odia sibi contraxit.

y) Pelopis discipulus fuit. Ad libr. de nat. hum. et administr. anat. lib. I.

§. 59.

G a l e n u s.

Alter ab Hippocrate, antiquioris medicinae princeps, et dissectionis professorum antesignanus a), natus Pergami, sub Marco Aurelio Antonino, Commodo, et Lucio Severo Imperatoribus vixit. Omnium anatomicorum conatus, quos unquam ausi fuerunt, longe superavit b), et felici dexteritatis cum ingenio copula adjutus, futuri floris anatomici prima germina posuit, ita ut plurium anatomicorum defectum, unici hujus viri nomen, satis superque Romanis compenset.

Antecessorum labores, innumeris erroribus plenos c) rejecit, propriisque oculis manibusque naturam adgressus,

hunc Augiae stabulum purgavit, et anatomici practici laude potissimum inclaruit. — Eudemi peripathetici, Alexandri Damasceni, Heracliani d) et Boëthi consulis societate usus, suas dissectiones instituit in brutorum (simiarum) tantum cadaveribus, teste *Andrea Vesalio* e) et Ill. *Hallero* f). — Singulari quoque dexteritate in vivorum animalium sectionibus versabatur. — Musculos plures novos detexit: Platysma myoïdes, rhomboideos, interosseos, sphincterem ani, lumbricales, rectum capitis minorem, poplitaeum, aliosque, quorum inventores sese jactitant neoterici; — Ligamenta glottidis, foramen cordis ovale, ductum Botalli false dictum, nervum recurrentem, thalamos opticos, pedem Hippocampi g); — Aquae ductum Faloppiae, nervum glossopharyngeum et intercostalem h); — anastomoses mammariae cum intercostalibus et epigastricis, spermaticam sinistram a renali oriundam i), aquaeductum Sylvii, conarium, plexus choroideos k) invenit, ut de reliquis taceam, quibus undiquaque referta ejus reperies volumina. Historiam elephanti dissecti nobis reliquit, in administrationibus: »*Nuper enim, ait, elephanto maximo Romae jugulato, ad istius dissectionem convenerunt medici, discendi gratia, duosne cor haberet vertices, an unum; et ventriculos duos, an tres.*« Leones quoque dissecuit, uti ex eodem libro intelligitur. — Quid de physiologia senserit, in opere ejus: »de usu partium« continetur l). — Non omnia ejus ad nos pervenerunt, — sufficiunt, quae supersunt m), ad stupendam ejus eruditionem nobis confirmandam. — Fama ejus post mortem aucta, ad *Vesalium* usque, et ultra, omnibus imposuit n), ita quidem, ut *Aex. Massaria* palam effari non erubuerit: »*Malo cum Galeno errare, quam cum neotericis vera dicere.*«—

Arrogantia tamen et importunitate erga alios (praecipue Aristotelem) o) non liber, sibi ipsi saepius non consentit, prolixo et obscuro hinc inde dictionis genere molestus fit. —

Ejus autoritatem inter recentiores primus fregit *Vesalius* p), et medicorum ingenia, longaeva servitute emancipavit. —

a) *Portal.* op. cit. cap. X. tom. I.
Lassus, Hist.-kritische Abhandl. I. Thl. pag. 39.
b) *Franc. Putaeus.* Apologia pro Galeno etc. Venet. 1562. 8.
c) De usu part. lib. XI. cap. 3. et 7.
d) De natura hum. lib. II.
e) *Andr. Vesalius.* (Epistola Basil. 1546. 4.) acerrimis conviciis famam Galeni proscindit, affirmans: simias, non homines dissecasse (p. 77.), hominis anatomen nunquam spectasse (70), pleraque in anatome scripsisse, quae nunquam vidisset, et falsa tantum imaginatione finxisse (161), Promethei more corporis fabricam et illarum partium usus confinxisse (181), cui adstipulatur *Cocchius.* De usu artis anatomicae, oratio. Flor. 1761. 4. pag. 25. Sed illum non simiarum modo, verum etiam hominum cadavera saepe dissecasse, abunde probant ipsius autoris testimonia: „*Propositum est mihi solius hominis structuram explicare.*" De usu part. lib. XIII. „*Inspicere oportet quamque particulam praesertim in homine.*" Administ. anat. lib. I. Simias quidem jubet incidere, eo scopo: „*ut medici periti ad laborem accedant, quando hominis dissecandi occurrit occasio.*" Administr. anat. lib. III. Et *Douglasuis* ait: „*ut verbo dicam, structuram multarum partium in homine, aliis animantibus dissimilem, disertis verbis aperit ac describit, et membra brutorum ac hominum inter se comparat. Huc quoque spectat, quod et praecipuum hac in re censeri debeat, quod descriptiones plurium, quas tradit partium, soli homini conveniant, ac quid habeat in sui structura peculiare, copiose exponat.*" Bibl. anat. pag. 22. et 23.
f) Bibl. anat. §. 9.
g) *Douglas* l. c. pag. 22.
h) De nervorum diss. lib.
i) De diss. lib.
k) *Haller* loc. cit.
l) Summa continetur in *Halleri* opere laudato.
m) *Melchior Sebiz.* Galeni ars disputationibus XXX resoluta. Argent. 1633. 8. — Libri ejus de anatomia Erasistrati, de anatomia animalium viventium, epitome librorum anatomicorum Marini et Lyci, et plures alii (*le Cerc* hist. de la medic.

p. 714.) perierunt omnes. Lyci operum jacturam prae reliquis lugemus, quippe qui viginti libros de re anatomica conscripsisse fertur. *Fabricius.* Bibl. graec. lib. VI. c. 9.

n) Omnis enim institutionis medicae materia, per saecula ex operibus ejus unice deprompta est.

o) *Casp. Hoffmann.* Collatio doctrinae Aristotelis cum doctrina Galeni. Paris. 1647. 4.

p) De corp hum. fabrica. lib. VII. et *Casp. Hoffmann.* Apologia pro Germanis contra Galenum. Amberg. 1625. 4.
Apologia apologiae etc. Amb. 1626. 4.
Relatio hist. judicii acti in campis elysaeis, coram Rhadamanto, contra Galenum, cum approbatione Apollinis. Norimberg. 1647. 12.

§. 60.

Post Galenum, anatome omnis interiit, etsi aliqui de ea scribere susceperint, ignavi omnes, ex Galeno plagia fecerunt, neque certa, ait *Hallerus*, unici corporis dissecti memoria est, ad Friderici II. Imperatoris tempora, totis decem seculis et ultra, quare *Apuleji*, *Alexandri Aphrosidiaei*, *Dionysi Aegaei*, *Athenaei Marcelli*, *Julii Pollucis*, *Hesychii*, *Geoponici*, *Caelii Aureliani*, *Censorini*, *Lactantii*, *Oribasii*, *Nemesii*, *Vegetii*, *Prisciani*, *Macrobii*, *Adamantii*, *Aetii*, *Pauli*, *Isidori*, *Theophili*, *Stephani Atheniensis*, *Meletii*, *Theophilacti Simocattae*, *Photii Rabani Mauri*, *Suidae*, *Nicephori Blemmydae*, *Actuarii*, *Georgii Sanguinitatii* etc., quorum apud *Hallerum* larga mentio fit, nomina tantum adduxisse juvabit.

Metagramma.

Haec sunt, quae de antiquitatibus anatomicis, ab origine artis nostrae, ad scientiarum palingenesin usque, in autoribus variis dispersa collegi, et dissertationis inauguralis titulo, tuo arbitrio Lector benevole! submittere ausus fui. —

Habet suos naevos opusculum hoc, quod laboris novitati pariter ac difficultati ignoscas velim! — multa enim omisi, multa prolixius tractavi, quam historici scriptoris amussis desiderat, et me in juniorum scriptorum commune vitium saepius incidisse probe scio, quibus nihil difficilius, quam paucis comprehendere multa. —

Autorum nomina, quorum opera relegi, decenter adduxi, eaque forsan nimis multa, quia propriae eruditionis tenuitati diffidens, nonnisi aliorum laboribus, quidquam proficere possibile erat.

In propriae sententiae expositione, uti juvenem decet, brevis et modestus ubique fui, non enim alios docendi animus erat, nisi ipse prius didicissem. —

Quod si Deus me ita amet, ut scientiae anatomicae, cui nunc totus sum, in posterum vitam viresque navare liceret, praeter alios libellum hunc, mendis purgatum, analectis pluribus auctum, et nova forma apparentem videbis. — Vale!

Dabam in musaeo Vindobonensi, quinto Calendas Martias, anno salutis MDCCCXXXV.

Tabularum explicatio.

Tab. I. Culter anatomicus Aegyptiacus.

Novitatis et raritatis causa, hucusque nullibi visae, iconem hunc opusculo adnectere constitui. Antiquissimum sine dubio specimen, quod egregius veteris scientiae fautor, *Prokesch Eques ab Osten*, in mumia quadam Aegyptiaca invenit, et Fautori meo et Patrono summe venerando, Prof. *Berres* dono dedit, qui sueta liberalitate, eum delineandi mihi potestatem fecit. Culter aere cyprio confectus, et totus quantus aerugine consumptus, septem pollices et dimidium longitudine aequat, lithotomo *Hernii* ad speciem simillimus. Mumia, unde exemptus fuit, sine dubio corpus Paraschistis (Prosectoris) cujusdam erat (vid. §. 25.), cui, more tunc temporis recepto, dignitatis et muneris sui insignia apposuerint consanguinei.

Tab. II. Paradigma anatomicum Sinense.

Risum teneatis amici! — Ita Chinenses sese intus factos esse somniant. — Rudem et errorum plenissimam figuram, ob stupendam antiquitatem, ex *Cleyeri* Medicina Sinica (vid. §. 53.) transferendam curavi. A Pulmones designat, B Arteriam magnam, C Cor, D Diaphragma, E Lien, F Ventriculum, G Hepar, H Cholecystidem, I K tenuia et crassa intestina, L Rectum, M Renes, N Ureteres. Haec Chinensium idea de interna corporis humani fabrica, aeram nostram mille annis et ultra superat, quare admirationem nostram et verecundiam magis moveat, quam risum.

Fig. III. Systema vasorum Sinensium.

A vera partium structura toto coelo alienum commentum est, et tamen secundum hanc tabulam, pulsuum loca et ordinem summe arbitrarium determinarunt. Haec tabula saltem *Halleri* sententiam optime confirmat, quam de Sinensium anatome tulit: „*Chinenses ne arteriarum quidem a venis discrimina noverunt, ejusmodi vasa sibi fingentes, quae a rerum natura longissime recedunt.*“ Bibl. anat. Tom. I. pag. 9.

Syllabus operis.

Caput primum.

Caput secundum.

Incrementa anatomes.

Caput tertium.

Caput quartum.

Caput quintum.

Anatome Graecorum.

Caput sextum.

Theses.

I. Medicina neque scientia est, neque ars.

II. Antiquissima medicinae pars anatome est, pulcherrima physiologia, difficillima praxis, tutissima chirurgia, nobilissima et dignissima medicina forensis.

III. Nullius scholae nomen ferat medicus, — autoritati multum fidat, plus tamen sibi et naturae.

IV. Anatome medico utilis, chirurgo necessaria, profanis non superflua.

V. Anatome ita doceatur, ut cum continuo jungatur ad rem medicam et chirurgicam respectu, — secus injucunda, et tironibus molesta.

VI. Noli secare viva! — luminis enim parum, confusionis multum inde physiologia habuit.

VII. Partes genitales foemininae et masculinae solo situ differunt.

VIII. Nervi non sentiunt.

IX. Hepar non assimilat.

X. Ad organorum sympathiam explicandam, non sufficiunt nervorum anastomoses.

XI. Medicus naturae servum, amicum, ministrum, imperatorem agat.

XII. Pulchra sunt in rebus medicis, quae videmus, — pulchriora, quae scimus, — pulcherrima longe, quae ignoramus! —


Corrigenda.

Pag.	VI.	lin.	penult.	loco Nominis Vestri,	lege	Nomini Vestro.
—	25.	—	29.	— intelliguntur,	—	intelligitur.
—	26.	—	23.	— turtur,	—	turturem.
—	29.	—	13.	post fuerunt,	insere	f).
—	42.	—	3.	loco ἆναλεύομεν,	lege	ἆναλεύεμεν.
—	48.	—	12.	— Alhosti,	—	Athosti.
—	49.	—	28.	— praetcr,	—	praeter.
—	52.	—	20.	— septem,	—	septuaginta.
—	55.	—	5.	— κιβωτία,	—	κιβολιω.
—	65.	—	16.	— amatome,	—	anatome.
—	86.	—	20.	— Ενκέφαλος,	—	Εγκεφαλος.
—	87.	—	6.	— πετοντος,	—	πεσοντος.

Tab. I.



Jacob Hyrtl fec.


A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N

Tab. III.

